6-4-H



John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

POEMATA SAC[illegible]

[illegible]

CANDIDATORUM

LATINITATIS

[illegible]

[illegible]

[illegible]

132

POEMATA SACRA
IN
CANDIDATORUM LATINITATIS
GRATIAM

Per R. P. F. JOSEPHUM A S. BENEDICTO Carmelitam Nudipedem, hujus Sancti Alberti titulo Mexicanæ Provinciæ in Nova Hiſpania alumnum, olim S. Theologiæ Moralis, atque Expoſitivæ Lectorem, Guacindenſis, Antequerenſis, iterumque Guacindenſis Conventus Priorem,

LUCUBRATA.

M. DCC. LXXVII.

MEXICI: Ex nova Typ. Matritenſi apud D. Philippum de Zuñiga & Ontiveros, in via Palmæ.

RPJCB

FAMILIARES INTER ANGELOS CHOREAS SEMPER AGENTI

CASTISSIMÆ VIRGINI.

CHERUBICOS APUD CŒLITES VERSANTI SPIRITUS

SAPIENTISSIMÆ DOCTRICI.

SERAPHICOS INTER COLLIQUESCENTI ARDORES

CARMELICO PHOENICI.

SUBLIMEM IN ARDUIS PONENTI NIDUM

MAGNARUM ALARUM AQUILÆ.

CARMELICOLARUM VETUSTISSIMÆ DOMUS

NOVISSIMÆ INSTAURATRICI.

VIRGINI, DOCTRICI, PHOENICI, AQUILÆ, INSTAURATRICI ALMÆ MATRI

TERESIÆ A JESU

OPERIS DEVOTIO.

ALtius aſtrigeris Volucris tenet ardua culmen,
Cui ſpecula in cœlum ſæpe cacumen erat:
Inſtruit inde ſuos, cernit qua ſydera, natos,
Ad certum ut teneant lumina fixa polum.
Cœleſtes nitidis pandens obtutibus orbes,
Ætheris ad ſolium conſtruit alta vias.

* Ad

Ad Volucris vocem dulci dum perſonat ore,
Carminis hinc pariter filia cantat avis.
Lumina fixa tenet, Matris ſi lumina cernit:
Concinit en proles, ſi canit illa priùs.
Uraniam te cantus avet, mea muſa, Tereſa,
Carmen ut accipiat caſta juventa pium.
Dum tibi ſacra dico metricus mea verba miniſter,
Oblata accipias quæ pia dona, precor.
Ut generare piam valeat virtute juventam
Carmeli, en Carmen dat nova muſa recens.
Priſcorum utque procax pereat laſcivia vatum,
Numina munda ſequor: nomina ſancta colam.
Jam Verona ſuum carpat perhoneſta Catullum:
Mollitiem renuat, dum probat apta modos.
Fabula veſano nulla eſt ſine amore Menandri,
Turpis & in gremio fortiter ardet amor.
Mantua grandiloquum reprobet ſermone Poetam,
Æneam Eliſæ cum facit ipſe procum.
Pelignæ dictus quondam qui gloria gentis,
Naſonem plaudat ſola Corinna ſuum.
Lesbia turpis avet Sappho temerare puellum,
Cujus adhuc cantus effugit uſque Phaon.
Tu canis altiſono ſacratum carmine numen,
Quæ quondam ſoboli metrica multa dabas.
Te omnigena in terris ſapientia perficit almam
Doctricem, & metrici te tenuere modi.
Congreſſus quondam recreabas docta ſororum:
Tu

Tu quoque Pieridum dulce levamen eras.
Tu noſtris numen, nobisque Poetria ſæclis,
Tuque novem ſuperas maxima Muſa ſoror.
Carmina quid dederim, dederit cum largius olim
Jam Triadis numen munera fuſa tibi.
Munera Caſtalidum tibi ſunt ceu gramina campis,
Pulvis eruntque ſolo, parvaque gutta mari.
Carmine ut es dives, me inopem tua copia fecit:
Prodigus in donis, ſed nec avarus ero.
Fons Helicon tamen afferet & communia nobis,
Qui è Fonte Eliaco candida turba ſumus.
Vertice monsque viret noſtris Carmelus ab alto
Mons Helicon muſis, Aonidumque choro.
Eſt aliquod dignum communibus artibus uti:
Sicque ſumus ſimiles; non tamen inde pares.
Albus amat pariles ad candida tecta Columbus,
Atque genus ſequitur, progeniemque ſuam.
Pictor adit Zeuxim, recte Rhetorque loquentem,
Navita vectorem ſic quoque puppis adit.
Si licet ingenti ingenium ſuperaddere parvum,
Nos tibi tantilli jungimur: acta fave.
Ut multum reddam, multum reſtabit, & ultra
Materies vires prævalet alta meas.
Muſa nihil reffert pondus cum penſitet omne,
Cum referat cunctos turba novena ſonos.
Nulli, abſente tuo ſinuoſis flexibus undant
Auxilio rivi, venaque ſicca jacet.

Te

Te duce vela freto, celereſque per æquora remos
Ducimus, atque Noto pinea ligna damus.
Venerit hinc dives, facilisque ad carmina Muſa:
Si faveas, veniet, ni properabis, abit.
Ergo fac venias, foveatque ut copia Carmen
Dum fovet illa, venis: dum venis, illa fovet.
Juſtitia expoſco: jus dat mihi gratia Matris:
Gratia cum tua ſit: ſit mea juſtitia.
Obvia juſtitiæ tribuit tua gratia pacem:
Gratia ſic metro huic obviet apta meo.
Hoc opus, hic labor eſt: opus hoc jam perfice noſtrū:
Dum non perficias, hoc opus, hic labor eſt.

APPRO-

APPROBATIO
R. P. Fr. FRANCISCI XAVERIJ VELARDE,

Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, in Sacra Theologia hujus ſuæ Mexicanæ Sanctiſſimi Nominis Jeſu Provincia de numero, ex Cathedra Mag. olim pro illa in utraque Curia Procuratoris, ac pro Comitijs Generalibus Vicarij Provincialis honore inſigniti; Deffinitoris, ac Provincialis quondam munere functi: Notarij Apoſtolici, ac Sanct. Inquiſitionis Officij ex munere Reviſoris, & Librorum Expurgatoris, hujusque Archiepiſc. Examinatoris Synodalis.

EXCELLENTISSIME PRINCEPS,

DUplex opus, unum, nempe, cui titulus: *Joſephina Sacro-Poetica*, ſeu Sacra Hiſtoria Præclariſſimi Patriarchæ, Ægyptique quondam Pro-Regis Joſephi; alterum iſto diagrammate inſignitum, *Prodigo-Avara, ſeu Hiſtorico-Evangelicæ Parabolæ ſuper utroque, ſcilicet, Prodigo Filio, & Divite Avaro expoſitio*; utrumque uno comprehenſum volumine, & *Metrico-Latina Methodo lucubratum per R. P. Fr. Joſeph à Sancto Benedicto, Carmelitam nudipedem, hujusque Perilluſtris S. Alberti Mexicanæ Provinciæ alumnum*, ad me, Decreto Excellentiſſimæ Dominationis veſtræ, delatum; nedum attenta, obedientiæ, ut par erat, conſideratione perlegi; ſed magna etiam, ut poſtulabat animus, voluptate revolvi. Ecquis non? Si illud, ut incunctanter arbitror, eſt opus verè ſingulare, ſuoque in genere rarum; non ſolum, quia

quia non obvium; ſed præcipuè, quia (quod eſt difficilius inventu) omni ex parte perfectum. Nec mirum quidem, Princeps Excme, cum, ut ſit, ut vere eſt, numeris omnibus abſolutum, præter Argumentum, ſeu Materiam, qua, nulla, utpote Sacra, dignior Auctoris caracteri; & Methodus, ſeu forma, qua, quia Carmen Heroum, ſeu heroicum, ut vocant, aptior nulla materiæ; ad illud efformandum ſui Auctoris ingenium, mentis acies, acumen, non vulgaris facundia, copia magna dicendi, eruditio pervaſta, doctrina certe multa, ceteraque quam plurima, ex quibus pretioſiſſima ipſius litterarum gaza diteſcit, certatim confluxere: adeo ſiquidem, ut, ſi tanquam aurum, quod pariter exiſtimo, in judicij ſtatera appendi vellit: proculdubio, per inſpectionem ſedulam, ceu per ignem probatum, nulla invenitur, à qua ſcoria purgetur, certe haud invenietur minus habens. Nec id ſolum, & ſi revera multum, ſed quod eſt principalius, & à me primô exigitur: nihil eſt in toto opere, quod Fidei Catholicæ, bonis moribus, aut Regijs juribus quidquam detrahat; ob idque eſſe digniſſimum, quod prælo, ac luci publicæ committatur. Sic cenſeo (ſalvo ſemper meliori) in hoc Reg. Auguſtiniano S. Pauli Mexicano Collegio die Februarij 12. an. 1777.

Fr. Franciscus Xaverius Velarde.

CENSURA

D. D. D. GREGORIJ JOSEPHI DE OMAÑA & Sotomayor in R. ac P. Mex. Univerſitate Sacræ Scripturæ Cathedræ Moderatoris, S. Inquiſitionis Officij pro Diœceſibus Angelopolitana, & Nicaraguenſi Ordinarij, Archiepiſcopatus Synodalis Examinatoris, & in Alma Mexicea Metropolitana Eccleſia quondam Magiſtralis Canonici, nunc vero Theſaurarij, &c.

DOMINE PRO-ARCHIEPISCOPE,

POeticum, Sacrum, Perpolitum Opus, cui titulus: *Joſephina Sacro-Poetica*, pari diligentia, ac fœlicitate elucubratum à *R.* admodum *P. Fr. Joſepho à S. Benedicto* Carmelitarum Excalceatorum Ordinis Alumno, inſimul, & Ornamento, Dominationis veſtræ juſſu ad me perlatum in examen vocavi, attentaque ac ſeria meditatione perpendi. Et me perduint ſuperi, niſi tanta ac pœne incredibilis gratia & copia dicendi meam illico laudem & admirationem extorſit. Non quod me unquam diſertiſſimi Auctoris amœnitas, acumen, ſales latuerint, aut præterfugerint; ſed quod retroactis diebus magna jam animi voluptate perlegerim Poemata duo, alterum de *Filio Prodigo*, aliud de *Divite Avaro* ab eodemmet compoſita, ſapientumque abſdubio calculo comprobanda. Quæ quidem mihi adeo omnibus numeris abſolutiſſima viſa fuere, ut nihil ex Caſtalio fonte facundius, utilius, ſuavius hauriri deinceps poſſe exiſtimarem. Mea me tamen fefellit opinio: Novum in lucem prodit Apollinis ſtudium, ubi vernant eloquentiæ flores, ubi rident Charites, ubi habitant Pierides; quod ſi ego quaſi Anſer inter olores cum Meonio, aut cum Audino Carmine conferam, amens ſim. Quæ enim comparatio lucis ad tenebras? Veritatis ad Fabulas? Fidelis ad Infideles?

Dei

Dei Vivi ad Idola? Abundant ſanè (fateor) Nectare & Ambroſia Illiadis, & Æneidis verba. Aſt venenum ſub melle latet. Vatum illi facilè Principes ſæpe loquntur roſas; latet tamen Anguis in herba. Ecquis non videat, quod terræ ambo caligine oppleti cum horrentia Martis arma Duceſq canerent, coacti ſunt bellicas etiam laudes & virtutes fingere, & (quod pejus eſt) atrociſſima plerumque Hominum Deorumque crimina plaudere ut dira, ſanguinolentaque Græcorum, & Trojugenum funera, famigero præconanda ſonitu poeſi immortalia redderent, Heroaſque pariter ſuos in ſummo honoris & heroicitatis gradu & faſtigio collocarent? Tutiori Medius Fidius via, Nobilioriqne arte noſter Poeta, cum inſignem pietate virum eloquia Domini caſta, argumentaque divina ſibi canenda propoſuiſſet, Pacificum Heroem fama merito jam ſuper æthera notum illuſtriorem fecit, veraque, & eggregia illius facinora exornavit. Separans enim pretioſum à vili miſcenſque utile dulci, abſque Homeri & Virgilij delirijs & ſomnis eorundem lepores, Phraſſes, Figuras imitatus eſt, queis omnes latini ſermonis ſtudioſos delectando, monere ſimul & movere poſſet. Sic ex eruditionis Gaza, Ingenijque inſtructiſſima ſupellectili, quaſi ex theſauro ſuo nova & vetera proferens, Patriarchæ illius quondam in Ægipto venditi, in omni ætate, Pueri, Juvenis, Viri, Senis, & in omni fortuna Paſtoris, Mancipij, Œconomi, Vincti, Proregis ſapientiam, manſuetudinem, humilitatem, patientiam, caſtimoniam, providentiamque ponderavit, & ſicut ſacrum decebat Vatem laudibus extulit, ut chriſticolas etiam doctrina accenderet ad exempla virtutum. Opus profecto ex materia, ex labore, ex ſcopo, nedum luce & prælo; ſed & auro & cedro dignum, quod cum ab errore tam diſitum ſit, à fide tamen, boniſque moribus ne latum unguem. Sic ſentio (ſalvo meliori) Mexici die 17 Febr. ann. 1777.

Gregorius Omaña.

Li-

Licencia del Superior Govierno.

EL Excmô. Señor Bailio Frey D. Antonio María Bucareli y Urſúa, Heneſtroſa, Laſo de la Vega, Villacís y Córdova, Cavallero Gran Cruz, Comendador de la Bóbeda de Toro en el Orden de San Juan, Gentil-Hombre de Cámara de S. Mag. con entrada, Teniente General de los Reales Exércitos, Virrey, Governador y Capitan General del Reyno de Nueva Eſpaña, Preſidente de ſu Real Audiencia, Superintendente General de Real Hacienda, y Ramo del Tabaco, Juez Conſervador de éste, Preſidente de ſu Junta, y Subdelegado de la Renta de Corréos en el miſmo Reyno, viſta la antecedente Aprobacion del R. P. Fr. Franciſco Xavier Velarde de la Sagrada Orden de N. P. S. Auguſtin, concedió ſu Licencia para la impreſion de eſte Poema Latino, como conſta de ſu Decreto de 18 de Febrero de 1777.

¶ POR

NOS EL Dr. D. JOSEPH RUIZ DE CONEjares, Abogado de los Reales Conſejos, Ordinario del Santo Oficio de la Inquiſicion de eſte Reyno, Juez, Proviſor, Vicario general, Viſitador, y Governador de eſte Arzobispado por el Illmô. Señor Dr. D. Alonſo Nuñez de Haro y Peralta, del Conſejo de S. M. Arzobiſpo de eſta Santa Igleſia Metropolitana &c.

POR el tenor del preſente, y por lo que à Nos toca, concedemos licencia à el R. P. Fr. Chriſtoval de la SS. Trinidad, para que pueda dar à las prenſas el Libro intitulado: *Joſephina Sacro-Poetica*, reſpecto à que reconocido de nueſtra orden, no contiene coſa contra nueſtra Santa Fé, buenas coſtumbres, ni Regalias de S. Mag. (Dios le guarde) con calidad de que no ſe dé al Público ſin que primero por el Aprobante ſe coteje, y por el Oficio ſe tome razon. Dado en la Ciudad de México à diez y ocho de Febrero de mil ſetecientos ſetenta y ſiete años.

M. F. *Dr. Ruiz.*

Por mandado del Sr. Proviſor, Vicario, Viſitador General, y Governador.

Jacinto Antonio Vazquez,
Notario mayor.

LICEN-

Licentia Ordinis.

FRATER SEBASTIANUS A S. ANTONIO Provincialis Carmelitarum Excalceatorum hujus Provinciæ S. Alberti in Nova Hiſpania &c. Conſulto noſtro Provinciali Deffinitorio, tenore præſentium licentiam impertimur Patri Fratri Joſepho à Sancto Benedicto, Ordinis noſtri in hac præfata Provincia Sacerdoti profeſſo, ut, præhabitis licentijs omnibus, approbationibusque de jure requiſitis, in publicam lucem edere queat opuſculum quoddam à ſe latino idiomate elaboratum, titulo *Poemata Latino-Sacra*: quatenus ſpeciali noſtra commiſsione per Viros Doctos noſtræ Religionis fuit recognitum, eorumque judicio prædicta licentia concedi poteſt. In cujus fidem præſentes litteras fieri juſsimus noſtro ſignatas nomine, officijque noſtri prælo munitas: inſuper per noſtrum Secretarium fidei juſſas. In hoc noſtro Queretarenſi Conventu die vigeſima quarta Octobris anni milleſimi ſeptingenteſimi ſeptuageſimi ſexti.

Fr. Sebaſtianus à S. Antonio
Provincialis.

D. M. R. P. N. Provincialis.
Fr. Joannes Emmanuel à Purificatione.
Secretarius.

Præ-

Præloquium in Doctos, indoctosque Lectores.

SCRIBIMUS indocti (ad vos quicumque ſitis, Docti, indoctive benevoli Lectores) ſcribimus, inquam, indocti, doctique poemata paſsim. Illorum frequentius ſcribendi haud tantùm munus, quantum vocitandi cacohetes ſtylum ferreum ingeminat, imo & calamum centuplicat obtuſum. Rarius iſtorum certo certius illuſtria in lucem opera produntur. Atqui: quam in prodeundo alternis vicibus ſemoti! In lucem meritò, iterum ac iterum meritò, Sapientum lucubrationes oriuntur, exeunt, revelantur, eduntur. Ceu ſublimis ingenij concepto fœtu feliciſsimi partus, *eduntur*. Tanquam quid divinum cœleſti myſteriorum arcano, ac ſi à Numine, *revelantur*. Veluti de fronte nitidiſsimus carbunculus, pyropus flammivomus, è capiteque exorta Jovis Minerva, in lucem *prodeunt*. Tandemque haud aliter ac luminare majus fulgurantiſsimum, Sol, ſcilicet, nitens vertice Sapientis capitis oriens ex alto, *oriuntur*.

At vero è contra: inſipido indoctorum de ſtomacho voces tantum; non verba, ſonus tantummodo; non ſenſus, blateronumque inſulſæ ineptiæ evo-

evomuntur, garrulantur, ſparguntur, jaculantur. Tanquam à Pſittaci capite non concepta proprio de cerebro verba, auditi tantum nudi ſonus, voces tantummodo, cauſata qualitas in ore meri animalis, *garrulantur*. Haud aliter ac de crudo ſtomacho indigeſtiones *evomuntur*. Ac ſi de inſalſo inſulſoque ore in permoleſte audientium aures, imo & ora ſputamenta *ſparguntur*. Crebrius denique tanquam de ſclopeto globulus, de bellico tormento bombus, ab arcuque ſagitta volans, in Sapientum ſcripta intorta, *jaculantur*. Proh me inſipientem! Si tanta totque malignatus inimicus in ſancta, in docta, in Sapientiorum inquam Scriptorum opera, quid non, quod ego homunculus & ignarus non pertimeſcam? Quodnam tamen de tot Homeromaſtigibus pretium? Quænam cura? Quisve timor? qui, quæ, quod celeberrimi quondam Hiſpani Vatis Diſticho non diſpellatur?

Cum tua non edas, carpis mea carmina, Leli:
Carpere vel noli noſtra, vel ede tua.

Fidentiſsimus auſim promere, nec iſtorum me perblanda aſſentatione erigi, neque hujuſcemodi caſtigatione doleri: multo namque mihi plus, imo melius eſt à Sapiente corripi, quam ſtultorum adulatione decipi. Corripiet me juſtus? Et increpabit me Sapiens? Submiſſo, nudoque capite libentiſsimus,

mus, arrectis auribus, auſcultabo. Oleum autem blandientium ſciolorum non impinguet profecto caput meum. In lucem ergo numine duce prodire contendimus. Sapientibus utique eatenus debitores erimus, veluti paſsive: quatenus Magiſterij lucem, caſtigationis ferulam, correctionisque aptam verberationem ex ipſis peroptamus.

Inſipientibus, è converſo, quaſi per activam vocem debitores ſumus: ſi quid fortaſſe aliquali Minerva verbis opportunum, aptum ſermone, instructione dignum, rectumque elocutione verterimus: quatenus illis tanquam parvulis lac potum, qualem qualemque ipſorum labris eruditionem delibabimus. Qua propter: dum te, ò mi dilectiſsime Sapiens, moderatorem pium, præceptorem benevolum, correctorem prudentem experiar, & hoc mihi, teſtor, in delicijs erit: cum pariter de ediſcentibus tyronibus aliquale doctrinæ lucrum reportaverim, & iſtud prorſus erit mihi

SATIS.

JOSEPHINA
SACRO-POETICA.
PARS PRIMA.
IN QUA
J O S E P H
ERGA EXTEROS
Primò commendatur Heros.

* *
*

INTRODUCITUR JACOB RURICOLAM, paſtoriciamque in terra Chanaan artem exercens: opulentus prole, virtute, divitijs.

ARva peregrinus genitor, quæ numine quondam
Sic nutu ductante pio, Chananæa pererrans,
Incoluit, cum certa domus vix eſſet & ipſi,
Nunc canimus: dulci dubium ſint pinguia paſtu;
An fructus ſœvo tantummodo livida gignat
Terra feros partus, referant abſinthia campi.
Res ſub lite manet: partes dum fertur in ambas
Mens incerta, jacet: verbis ſic dicere dignum.
Certius aſt (nam ſic hæc priſtina fata tulére)
Pentapolim fœdis ibi tum mala germina pomis
Inſeruiſſe ſuis: tum ſemina caſta tuliſſe,
Atque dediſſe bonis fructus Peneia malis.
His cum prole ſenex, longo qui feſſus ab ævo
Tunc Jacob graviora legebat tempora canis,
Divitijs locuplex, habitans erat accola terris.
Vel duodena viri proles redimire ſenectam,

 Ceu

Ceu ſertum Patris conſuevit tempora vittis.
Circuitu in menſæ viridis reſidére juventa,
Utque novellæ oleæ ſedem circundare acernam
Cernitur ipſa, cohors, numeroſa frequentia fratrum.
Prole parens opulentus erat, locupletior auro,
Ingentes olli cenſus, pretioſa ſupellex.
Multa manent illum Sylvis tum pinguia paſquis,
Quę frondes, quę armenta boū, quę gramina carpunt.
Inſimul agna lupis raptoribus acta, canumque
Imbellis ſervata manu ſtat plurima, campos
Sic replet, ut tenero detondens pabula morſu,
Lanigeros partu reddat fœcunda tenellos:
Caprigenum ecce genus quærentes ſaxa capellæ
Mandebant virgulta, cavas conſcendere doctæ
Per præceps cautes, exeſaque culmina rupis.
Hic ſtatus, hi ſacrique lares, queis clarus Jacob
Fulgebat pietate potens, cui maxima rebus
Arriſit fortuna favens: aura ecce benigna
Iſrael tunc ampla domus ſuffulta tenebat
Tecta, & per patrios radiabat porta penates.

PRÆ CETERIS A PARENTE FILIIS dilectus Joseph paternos agit greges. Ob dilectionem paternam odio á fratribus habetur: ſomnia enarrat, propter quæ fraternam experitur invidiam.

HAUD adeo effætas patiuntur corpora vires
Annoſam quamvis norint numerare ſenectam:
Provida adhuc Veneris mundæ ſua munera virtus
Suſtinet è lumbis, quamquam longæva, paternis:
Inde toro patri incumbit dum ſedulus almo
Obvenit accreſcens ſoboles, quæ chara parenti
Ipſa domus toleraret onus, quæ ex inde ſenectæ,
Etſi ſera foret proles; aſt ipſa bacillus
Perſtaret virtute potis: ſic fata tenebant.
Judicio ſenior pollens cum ſanior ævo,
Quem genuit ſerum, citius jam pectore toto
Præ cunctis unum natis hunc deperit ortum.
Præ cunctis dilectus abit qui fratribus extans
Ille minor, totos patris ſibi traxerat ignes.
Filius hoc ſenis imbellis quod cernitur ipſo,
Eſt ſuper ille ſuos dilectus pectore fratres.
Ipſa ſibi morbus, ſibi fracta eſt ipſa ſenectus,
Quàm letho vicina manet, dum à corpore robur
Priſtinus abſcedit, linquunt dum munia vires,
Non partes agit illa ſuas natura: potenti

Namq̃ pede extemplo graditur mors concita, & ultro
Præmittit duros (ſemper mala germina) morbos:
Omnia conſueſcit celeri ſpoliare rapina.
Ipſa trahens gracilis laſſum jam corpus ab intus
Exhibet & tenues cordi tunc ætheris hauſtus.
Quẽ non quit perferre manus baculo ipſa recumbens
It pede tarda: moras greſſu interponit inerti.
Tum fragiles anni tollunt qui munia menti
Obtundunt animam: ingenium ſed vertitur ipſum.
Balba hinc lingua ſonos reddit: de gutture voces
Difficiles veniunt: vivit qui ſpiritus intus
Paulatim à virtute vacat: concedere letho
Cogitur, ac penitus vitæ ſubtilia fulcra
Omnia deficiunt. Heu! vir ſibi deficit ipſi.
Neve hominis tantæ vel pondere machina onuſti
Succumbat moli, recidat non tracta ruinis,
Utque nova, æternos facilis vegetetur in annos,
Exardet natura novam, nova ſemina, prolem.
Ipſa ſibi ut ſolers firmo queat aggere vitam
Extruere ad longum, maneat poſt fata ſuperſtes,
Subſtituit ſobolem, feſſis ſolamina canis.
Inde ſuper reliquos merito nova germina natos
Diligitur Joſeph, patrisque eviſcerat ignes.
Priſtinus ille, parit ſemper quem filius ater
Quæ eſt & amara parens, nuda eſt, quæ eſt filia lucis,
Alterius ſimul eſt ſoboles genitricis, & alma
Parturit hoc dirum mater dilectio monſtrum.
Ergo

Ergo & mens odium peperit, peperitque voluntas,
A geminoque venit partu ſimul unica proles.
Hos Chanaan tellus, (hæc ſunt ſibi ſemina) fructus
Invida de ancipiti prolem hanc enititur alvo.
Hæc mala peſte fera, ſævam de pectore cladem
Labentem livore ferox, fomitemque malorum
Protulit immenſum creſcens fraterna ſimultas.
Tunc tener, ecce, puer teneros cum fratribus agnos,
Lanigeras ducebat oves, fuſasque per herbam,
Tum virga hirſutas confertas lacte capellas
Ad ſeptas ſaturas caulas revocare peritus.
In Venerem proni ſectans veſtigia capri,
Cujus in internis efræna licentia fibris
Jus gerit, aſſiduus graditur de munere paſtor.
Nil niſi fœda vident oculi, paſſimque caprini
Congreſſus animum rapiunt, præcordiaque intus
Pelliciunt, fœdis mens eſt quoque percita factis.
Hinc pecudum patrijs aſſueta it prava voluntas
Moribus, abrepta & ſtimulis damnoſa cupido
Contrahit interdum probroſos corporis uſus:
Infandum! turpes mores, veneremque nefandam
Mens vitiata trahit. Crimen patrare ſceleſtum
Haud pudet, & pecudum more impia mæchia fervet.
Hinc forſan genus illud abit mala germina Fauni,
Quos coluit montana ætas, ceu numina, priſca:
Semiviros coitu nequam procedere capros
Dicitur: in dubio eſt ſit fabula nuncia veri.

Cri-

Crimen erat fratrum: ſpecies cum plurima noxæ,
Tam multæ & facies ſcelerum numerentur; at hujus
Non facies, non forma datur: quæratur opus ſit
Oedipus. An ſcelus infandum? penitus latet ipſum.
Peſſimum erat crimen, vel inexcuſſabile factum.
Credere quis juſtum valeat de crimine falſo
Conjunctos pietate viros, tum ſanguine fratrem
Inſimulare dolis, dictisque inceſſere fictis?
Talibus, heus puer, ad patrem ne perge querelis
Incuſare tuos, deferreque crimina fratrum.
Te capite & mulctatum iri, te criminis ultro
Penſurum pœnas vereor, te pectoris iras
Fraterni ſubiturum acres, rabiemque frementem.
Quod ſi te norit bilis fraterna ferale
Ad patrem deferre ſcelus factum ve nefandum,
Haud aliter quam cum tenebratum nubibus æther
Præcipitat nimbos, totoque à cardine ſeptem
Pleiadas agitat tonitru cœlum Atlantæas,
Tunc ſtrepitu horriſono lapſi de collibus imbres
E terra rapidi, atque imis è ſedibus amplos
Disiiciunt ſcopulos, præſtantia corpora ſaxa
Hinc rapiunt, alias adigunt ſibi quærere ſedes.
Hoccemodo è patriæ te abigendum limine terræ,
Te externas viſurum oras, te, credito aduſta,
Quæ alluit unda frequens tenturum littora Nili.
Myſtica ſacrarum jam jam penetralia rerum
Mens vel inire parat pueri, vel viſa ſubire

Som-

Somnia, terrificos trepidis minitantia caſus
Fratribus: aſt ſuperis ſacrata potentia cauſis
Quæ latet, ac juſtis moderatur legibus orbem,
Diſponit majora, moras tum tempora rebus
Eventus ſeros recta tum mente volutat.
Paſtor ab armento baculum quo rexerat agnos
In falcem vertit, curvataque corpora torquens
Ex tunc ad gravidas ferrum convertit ariſtas.
Faſciculos nodis fratres nexuque tenaci,
Faſciculum Joſeph nexum, laqueoque revinctum
Tempore triticeæ, cerealia munera, meſſis
Cogebant manibus, ſimulhac ſimul arva metebant.
Res nova non ullis, molli licet indita ſomno,
Temporibus celebrata micat, quæ provida doctum
Eventus referat juvenem, certumque futuri.
Triticei faſces farris, ſpicasque revinctas
Seponunt ſibi quisque ſuas: ſtans prorſus in altum
Cernitur erectus cœloque attollere culmen
Unus præ cunctis, ſurſum ſua corpora faſcis
Firmabat rectus, mediumque hunc poplite curvo
Circundant alij proni, ſacrumque colentes
Ceu numen celebrant: almo dignatur honore.
Hæc, licet invita peragunt vel munia mente
Cetera turba, decem frendentes numina Vatis
Expromunt fratres fratrum quam gratia rara it.
Viſa hæc venturos ex tunc imitantia caſus,
Et rerum narrat ſeriem, curſumque docebat

Fra-

Fratribus inde puer Vates, remque ordine pandit.
Ecquid, io, puer ingeminas tot triſtia fando?
Ecquis, io, fatis valeat quandoque vidére
Tot monſtroſa ſimul? Minimum nunc ordine fratrem
Te auratam, turgente manu, te murice tinctum
Recturum (ne hæc fata velint) pro munere virgam?
Imperioque potem te te, proh tempora! Fratres?
Præſcius ulterior Vates nova monſtra ſubire,
Interpres Divum mens ultra ac concita ſomno
Pergit, & aſtrorum prænuncia ſigna coercens
Contrahit & ſtellas, undenaque turba capeſſit
Juſſa ſibi: & parens juveni nárratur ad aures.
Me, me iterum, ò fratres, & adhuc majora loquentē.
Hæc refero, hæc: majus cœli quod lumina complet
Sidus, & eſſe mihi pernox tum candida Phœbe
Obſequio ſimiles pariter cernuntur in unum.
Rem taciturnus agit, promentem talia quamquam
Objurgat prolem genitor, quæ numine ducta
In dubium ſequitur callem, quo præſcia mens it.
Quid tamen iſta tibi tot grandia murmure jactas?
Quodnam te impubem, puerumq̄ extempore ephebū,
Quem nulla & blandi tingunt lanugine vultus,
Grandiloquum fecit numen? Quiſnam ve deorum
Te Vatem genuit? nimium ne crede colori.
Magna refers, juvenis, non nunc quæ viribus iſtis
Munera conveniunt, nec tam puerilibus annis.
Num pater, an fratres, genitrix humili pede flexi,

Nonne

Nonne aliquando omnes vel ſic te poplite curvo
Sponte ſuper terram faciles venerabimur uſquam?
Num tibi in extremas adeundum numine terras?
An ne peregrinos longis ve erroribus actos
Excipies princeps regnoque potitus egenos?
Accerſes tecum fratres, matremque patremque?
Inſpice parve puer te ex nunc quam ſomnia fallant.
Non genitrix Rachel Pharios, uſtamve Canopum,
Non ſeptemgemini interdum vel littora Nili
Advena luſtrabit, longas nec perget in oras,
Neque Parætonias calcabit perfuga terras;
Attamen inde gravi fœtus quem geſtat in albo
Difficilem efficiet matrem ſub luminis auras
Eniti prolem, conceptaque ſemina reddet
Ardua: per teneras angor præcordia fibras
Diſrumpet ſævus: rigido turbata dolore
Ipſa puerperio Rachel cruciabitur arcto:
Cuique dabit vitam vitam lugebit ademptam
A fœtu extremo: vitales contrahet auras
Ipſa ſibi ſoboles matris: ſecumque ferendo
Benjamin vitam, longas peregrinus ad oras,
Niliacos faciet genitricem viſere campos.
Tempore quo matrem fœtus, ceu ſarcina, toto
Prægravat ipſe ſuam (fas ſic ſic jura tulere)
Cum matre & ſoboles eſt ſic non plura; ſed unum.
Ergo Niliacas genitrix mea perget in urbes
A prole hinc Rachel moriens, aſt prole ſuperſtes.

O pater, ò fratrum genitor, nova tempora ſubſunt
Cum fratres, cum te capiet Nilotica Memphis:
Poſt aliquot nova regna videns mirabere noſtra.
Invide, quid fratrem frater poſt dicta laceſſis?
Dente quid infecto in vatem tot Zoila fratrem
Infremis ipſe tuum ſtimulis agitatus amaris?
Tu cave ne Joſepho-aſtes nunc verbere-maſtix:
Zoilus ecce patet, tibi ſit nunc prorſus imago:
Invidus immeritum dictis qui infecit Homerum
Ægypti ad ſolium pauper Ptolemæa petenſque
Ipſe loco ſtipis hæc merito reſponſa recepit:
Æternus multos verbis à numine Vates
Ecce ſuis paſcit ſapiens: tu doctior illo,
Quo vel dente premis, rabido ſic paſcere morſu.
Hæc tibi pertimeo, ò frater, ne talia dictis
Qui es ſimilis factis venientia tempora reddant.

MITTITUR AD FRATRES JOSEPH oves in Sichem paſcentes. De ipſius ab ipſis occiſione agitur. Mors commutatur in exilium. Iſmaelitis it venditus. Tunica ſanguine ſuppoſititio tincta, ut occiſus à fera credatur, ad patrem mittitur.

MAgnus ab æternis ſæclis jam pervenit ordo:
En venit & Virgo, properant aurataque ſæcla:

En pia progenies cœlo nunc inſonat alto:
Illa Deum vitam accipiet, divisque videbit
Immixtos heroas, & ipſa videbitur ipſis,
Pacatumque reget Patris virtutibus orbem:
Ille puer parvus caſtam ſcit noſcere matrem:
Matri nulla novem dederant faſtidia menſes.
Hoc duce ſi qua manent ſceleris veſtigia fratrum
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.
In terras celſa Verbum dum mittitur arce
Æterno ſoboles ſemper quæ æquæva Parenti
Terrigenas inter durum genus, ille Parentis
Virginis abs utero veniens ad luminis auras
Dignatur fratrum nomen, divumque, virumque,
Quod genus inde trahit, naturam innectit utramque.
Eſt dixiſſe deos homines, hominemque vocari
Magnum aliquid, terras viſens qui ſanguine junctos
Terricolas ſibi perfecit cum magnus Olympo
Filius ille Dei eſt, ortum qui ducit ab alto.
Jure aliquo faciunt hominem tot vincula Divis
Eſſe adeo affinem, ſtrictoque ligamine vinctum:
Jus aliquodque Deo, immundo de ſemine fictum
Vel feciſſe hominem, ſibi natura ve propinquum:
Hanc ſemel aſſumpſit Verbum; dimittere nunquam,
Nec vult ad tempus, vincli non ſolvere nodum.
Immemor heu! tanti extemplo cui gratia facti
Excidit, Adamo cretus, qui infida propago eſt:
Immemorem intemeratæ ipſum qui gloria matris

Haud fratrem temerare pudet, namque oſor iniquus
Quem pater in terras mittit, quem inviſere fratres,
E terra, toto fundens de pectore vires
Exturbare parat, properumque addicere letho.
Nos deni hic Jacob, cuncti nos plurima proles,
Ruſtica gens canimus ſylvas, luſtramus & agros:
Nos armenta boum Simon, Seniorque Rubenus,
Cornigerum taurum Levi, tum fortis Judas
Ad paſtum validumq̃ genus perducet, at agnos
Cetera poſterior fratrum vos turba tenellos
Ducite, ab hinc teneras virga ſervate bidentes.
Sextus item nomen Merces cui præmia, frater
Vel Fortis ſtolidas aſinas, tutetur aſellos.
Unus adhuc reliquus: forſan vix hactenus iſte
Non natus, primos lucis non creverit infans
Exortus, Hecates trina haud nunc viderit ora:
Benjamin reliquus, lætum cum tardior ævum
Incolumis videat, viridesque attingat in annos,
Vociferos dentata manus qui naribus acres,
Qui pedibus celeres doctos paret ipſe moloſos.
Hos lupus arva rapax luſtrans, caulasque peragrans
Inſidias pavidisque parans quos devoret agnis,
Horreſcat, trepidusque fugam per devia captet.
Unus delitiæ hinc abſit puer ille paternæ.
Ah! pereat potius, noſtris quam cætibus aſtans
Garrulus ille auſit linguæ inſidiarier actis.
En venit, ò Simon ſurgens Tithonia conjux

Feſti-

Feſtina, atque albis clareſcit lactea bigis,
De ſomno evigilare docens: ad pabula tonſas
Extrahat hinc clauſas, ſurgat quisque ocyor aura.
Haud aliter, frater Simon: ne munere ſegnes
Ad patrem arceſſat pernix ſpeculator acerbus.
Terra Sichem nobis, Phœnicum patria conſtans
Incolitur pelago propior, quæ ad littora ponti
Gramina dat pecudi: Sidon hanc nomine Achivo
Grajugenæ appellant, piſcisque à copia dicunt.
Hæc ſterilis perſtans pecudes ſalſiſſima tellus
Depravat fœtas: conſtant deformia: vix nam
Agna puerperium facilem gravidata tenellis
Non numquam reddit, partuq̃ ex poſta periclo eſt:
Hanc pelago affinis noxam fert terra bidenti,
Pravis ergo dehinc, fratres abſcedite paſquis.
Hæc Judas: plaudunt fratres; non dicta Zabulon.
Arva ſali: huicq̃ ſolo hæc tribuunt habitacula nomen:
Sed tamen acta probat fratrum, ſuffragia jungit,
Conſilium commune tenet: ſententia cunctis
Eſt eadem: in Dothan, riguis quæ humentia rivis
Rura parat gregibus tellus: meliora legamus.
Non mora: procedant pecudes: ad terga ſequentum
Prima cohors fratrum, frontemq̃ extrema tenendo
Altera eat legio: dextrum cornuque ſiniſtrum
Furibus infenſi cingant vigilesque moloſſi.
Dan gladio armatus, ceu pugnax ducat equorum
Cornipedum ve manum, bello quæ armenta parantur:
Mor-

Mordentem caveat colubrum ſævumque Ceraſtem,
Ne cadat aſcenſor retro, ne impingat ad haſtam.
Legimus en Dothan littus; jam ſemine abundans
Gramineo apparet tellus & turgida paſtu.
Arcada num pretio hic? Cyllenes, an ve Lycœi
Umbriferi hic deſunt? Non hic nec flumina Ladon,
Atque Erymantus opus ſunto: nam pinguia rivis
Arva patent, gregibus facilis fert omnia tellus.
Hinc & oves Saturæ ſolito plus, craſſa capella
Ad caulas redeunt, fœtæ quoque & ubera Vaccæ
Turgidiora parant: mammam labrisque gemelli
Dum ſugunt, hirci ludunt, frontesque retundunt:
In pratis agiles ſaliunt ſimul hircus & agnus,
Ac toto æthereas niſu dant corpora in auras.
Plurimus hic vitulas currens per devia taurus
Primiparas ſequitur, ſtimulisque libidinis acti
Cum pugnax aries, hircus tum cornibus acer
Circumeunt crebro ſocias, coituque protervo
Inde pati aſcenſus cernuntur ovesque capræque.
Ecce, Ruben Caprũ, ipſe mares qui aſcendere cernis:
Quis tibi tanta dedit ſigna, argumenta quis ante,
Cum temerare toros auſusque cubile paternum es
Aſcenſu infando? Tantane libidine demens
Flammeſcit pectus! tanta eſt inſania febris!
Fortius irritant animos conſpecta; parumque
Murmure tinnitus quæ ſunt tranſmiſſa per aures.
En ſcelus ad patrias aures quod pectore diro
Per-

Perfidus ille tulit, fudit quamque ipſe querela
Omnibus eſt unum: communia facta negari
Hoc opus eſtque labor: non omnia poſſumus omnes.
Vel nihil ille probat multum qui comprobat, atque
Sic negat ille nihil ſtabilis qui denegat omne.
Ne laudet quemquam laudat Calliſtratus omnes
Cui malus eſt nemo, bonus eſt non forſitan ullus.
Argutis oculis fœda hæc quæ advertimus ipſi
Hæc puer obſignat: gerimus quæ forſitan omnes,
A brutis, ductante oculo, quæ dira cupido eſt
Noſcere nos fecit: viſa hic ut facta feruntur.
Ecce patrata refert, narrat dum crimina viſus:
Haud tamen innocuus, multoque inſontior illo
Quilibet è nobis. Tantummodo culpa ſeveris
Quæ eſt adeo objurgata oculis, onerata querelis
Abs oculis moderata venit; ſed acerbior illa
Quam, gemino verſante dolo, cum lingua maligna,
Tum imprudens oculus temerator viſa reponit.
Arte Pelaſgus hic eſt: præcordia mittit ad illum
Quem perdocta dolis Itaca ingeneravit Odyſſem.
Di totidem luſtris faciles ad littora ponti
Errores tribuant ſimiles, profugum ve per orbem
Iſiacas faciant venum te exire ſub oras.
Cordibus ergo puer metuendo horrore frementum
Fixus erat fratrum, rabiem nec temperat iræ
Tempus edax rerum: manet alta mente repoſtum
Faſciculi erecti viſum, curvique manipli.

Inte-

Interea genitor reduces haud pergere natos
In tectum cernens, morulisque inſiſtere ſegnes,
Fluctuat in curis varius, mentemque trahebat.
Mutua ne forſan fratrum rupiſſet oborta
Fœdere disjecto pacis diſcordia nexum:
Neve latro prædam ſemper qui inſomnis ad omnē,
Nocturno incurſu ſolitoque inſurgere ſaltu
Audeat in caulas, pecudesque invadere in omnes.
Res miranda nihil, tantæ præcordia curæ
Intima patris agant, pungant tanti ilia ſentes:
Eſt pater, atque pia hæc debentur pectora patri.
In partem charam angore at diſtentus acerbo
Advocat absq̄ mora ſobolem, adſtrictamq̄ requirit:
Hæc tibi mando: Deum genitor mea numina teſtor:
Tu cave prætereas juſſum: ne ſegnior eſto.
Ad fratres ſpeculator abis: ſic omnia luſtrans
Perlege, & huc illuc tacito rurſum omnia volve
Lumine, & acta refer: velox huc nuncius adſtes.
Da mihi certa, puer, dictis factisque revertas
Ad patrem pernix: morula eſt, vel parvula noxa.
Cunctatus nulla peragit ratione puellus
Juſſa patris: pergit: quæritque: errabat in agro.
Quidni erras Juvenis dubius: nota ecce viarum
Implexus regione excedis, ſicque per arva
Deflectis varius: qui errantes quærit aberrat.
Fallitur errore & meritò qui ambagibus actus
Vel probus ipſe terit pravorum compita nequam.

Error & eſt puero, error ſic & fratribus hæret,
Paſſibus inverſis iſtos tamen angit & illum:
Ad lethum quærunt odio qui quærit amore:
Errabant à corde omnes, puer errat ab illis:
Iſte ſuos quærit fratres quos errat amantes:
Errat, quippe ſuos fratres num quærat an hoſtes
It labyrinthiacis tangens ſuſpenſus in umbris.
Qui pote tanta bone ò Deus? aſt ſic omnia ſunt hæc
Complenda, atque heros juvenis per tempora notus
Ex hoc incipiens vadat, ſua ſidera tentet.
Ut cum explorator tumulo qui obſervat ab alto,
Arte Syracoſia laboratum ad lumina vitrum
Admovet, hac oculo ut proſpectet cuncta ſagaci,
Omnemque acceſſum æquore toto luſtret aperto,
Non ſecus inſontẽ, hactenus haud mala corda timentẽ
Feſtinum, impellente moras greſſuque petentem
A longe aſpiciunt, ad quos properabat anhelus
Tunc fratres juvenem: fremitus hic, murmura vocũ.
Gratius haud geſtit, tenuis cum paſer in ungues
Carnivori in ventris cecidit mala præda ſepulcrum
Prædator Milvus: vel ut agnus mitis apertas
Dum venit ad catuli ſævi per devia fauces.
En venit, ecce venit vigilans qui ſomniat amens:
¿Cui referunt vitam referent num ſomnia lethum?
¿Somnia quid proſunt? Videat quid viſa referre
Nunc valeat: fratrum valet haud qui eludere vates
Ultrices, bacchante manu per ſomnia dextras.

Euge euge ò fratres: iterum bis dicitur euge:
Non aliter manibus plaudentes funera ploſis
Inſtantis greſſum teſtantur gaudia fratris.
Eſt ciſterna vetus, puteum fodére priores,
Quo pecus omne ſitim, rapido cum fervet ab æſtu
E latice exhauſto placidum leniret in undis.
Gutta cavans lapides imoque foramine terras
Paulatim exercens, nova ſpiramentaque rumpens
Eluſit veteres ibat quà à flumine curſus,
Ac puteo annoſi exceſſerunt tempore rivi.
Qua ratione lupus miti quem devorat agno
Excoriat pellem tegmenque ex oſſibus aufert,
Non aliter tunica, extemploque è corpore amictu
Turba ferox fratrum tenerum ſpoliare puellum
Invadit: certant qui ſint ad prælia primi.
Pars cœdem meditatur atrox, pars mitior illi
Exilium clamat, disjunctas orbis in oras,
Atque dari venum repetit: furit impia turba.
Ut pater aſt aliqua ficta de cæde relata
Vafritie geniti fallatur, pectora fraudi
Aſſueta ecce hædi fucato ſanguine tinctam
Effingunt fratris veſtem, qua certiùs auctrix
Vel fera flagitij credatur peſſima tanti.
Impia quæ Abſyrti fratris Medea parentem
Cæde eluſit, dicitur hinc exempla tuliſſe.
Qui prior in donis ſenior cui temporis ætas
Imperio majorque Ruben de fratribus unus,

Aut

Aut dira eripere intendens à cæde puellum,
Vel fratrum ſaltem rabiem ut ſedaret iniquam,
Calliditate pius, fratris ſtimulatus amore
In puteum firmavit agens ſtagnumque ferendo
Pro puero frontem ſtabilis, quo eludere fratrum
Duritiem poſſit rabidam, ac exinde tenellum
Incolumen ad patrem valeat ſubducere furtim.
Tu ne Ruben juſtus manibus cum talia lotis
Pro juvene officioſus agis pia munera frater?
Innocua haud plane vel ſic tot facta piantur,
Qui imperio fratres inter provectior ævo
Præ cunctis ſuperas, motus ſedare coortos
Vim quoq̃ vi arcendã impiger & tenebaris ad omnẽ.
Pontius ille venit præſes quam munere pravus:
Huic tua facta favent, hunc & teſtaris iniquum:
Quæ facit ille probas munus cum præſidis imples:
Hinc & uterque ſimul parili pietate maligni.
Judicium valido fas eſt tentamine juſtum
Pro roſtris agere, actutum ſic jurgia deſint.
Qui puero verſutus agis ſine ſanguine foſſam,
Plus reliquis crudelis eris, lentamque parando,
Multiplicem infliges puero ſine cuſpide cædem.
¿Quid celare juvat cladem nos ſanguine tinctos
Fratris, ſeu noſtro prætexere nomine culpam?
Veneat ipſe mage expedit, ac ſic munere ſoſpes
Per maneat noſtro: noſtra quid proderit unquam
Strages acta manu? Quamvis venundatus ibit,

Quantumvis famulus ſub herili vincula nutu
Ferrea ſuſtineat, luctusque è pectore ducat,
Vivet: ſat miſero ſit ſic ut vivere fas ſit:
Vivat, & ille pios aliquo cognoſcere fratres
Vel ſemel eſſe queat, nobis debere ſalutem.
Vivat, ut & forſan traſacto temporis ævo
Mœrentis, veluti redivivus, cara parentis
Aſpicere ora quæat, prolis genitorque viciſſim.
His Judas pro fratre pius de lite perorat:
Diſſidium dictis fraternaque jurgia ſolvit.
Tunc profugus juſtus ſemotas tendere in oras
Cogitur, Heu miſerum! patrijsq̄ expulſus ab arvis
Linquere cara, domum, patrem, ſanctosq̄ penates.
¿Hæc tua, dic Juda, utilis eſt ſententia, mens hæc?
Pro pretio frater proprijs de finibus exul
Incertas ſedes alienaque limina pulſet!
Alter erit Juſtus, Judas erit impius alter,
Et pretium appretiati aliud, ſimul altera merces:
Tu tamen acta refers, nomen: tu munere & idem:
Eſt ſpecies eademque eadem ſignata per illam.
¿Num quia peſſimū erat crimen, nunc peſſima fecit
Vel fera ſæva nefas hoc ſicque eſt talio pœna?
Juſtior eſſe Ruben moſtrat de fratribus, hic nam
Calliditate probus fraudem quam pectore volvit,
In fratres torquet, luſores ludere contra
Conatur vigilans; fraude aſt tu Juda cruenta
Ingenua inſidijs ſeducere corda parentis.

Jam

Jam technis, inſtructa dolis, faretrata querellis
Impia fraternum quærens celare malignis
Excidium turba, atque animum fraudare paternum,
hædino imbutam rubeoque cruore madentem
Per celeres qui vera ferant mendacia, veſtem
Præmittunt famulos: miſeranda hinc omina patri.
Ecce hanc: nos caſu decepti errore viarum
Semita in incertum ducente, agroque vagantes
Ibamus ſocij curſum neutrumque tenentes.
Obvia ſic nobis morſu diſcerpta ferino,
Atque cruore recens veſtis madefacta puelli
Occurrit: tu cerne oculis, te redde metipſum
Indubium, an tunica hæc ſanie quæ eſt illita putri,
Qua ſoboles induta ibat quam cara parenti
Ipſa ſit: hinc certe rubro jam crede colori.
Non adeo fulmen tonitru quod Juppiter alto
E cœlo intorquet ſævas dum fulgurat iras,
Imas pervadit tetra formidine fibras,
Oſſa agitata quatit, tenuesque intrare medullas
Audet, & infeſtis temerat præcordia flammis:
Ut novitas, terrente ſono, vox horrida rauco
Intonuit clamore, cavas ſenioris & aures
Perculit, attonitamque inopino murmure mentem.
Tunc artus, elementa, fibræ, tunc corporis omne
Ingemuit vinclum: queſtus tunc pectore ab alto
Disiiciunt animam, vitæ tumque arduus ordo
Sedibus abs imis rupta compage labaſcit:

Hor-

Horreſcit natura ſenis, fregiſſe videntur
Cordatam ſenſus pacem, pia viſcera fœdus.
Ut primum veſtis rigido reſperſa cruore eſt
In lucem producta, oculisque objecta parentis:
Heu! tunica eſt gnate: gnate heu! mea viſcera veſtis
Hæc tua dilacerat morſu lacerata ferino:
Abſdubio eſt Joſeph prout eſt aptata figuris.
Te forma noſco veſtem, ſed ſanguine ſævam
Noſco feram: nati eſt veſtis; ſed purpura pallens
Haud gnati eſt Joſeph: etiam nunc corpora venis
Hoc monet intus alens fervensq̄ in pectore ſanguis.
Hæc mihi neſcio quis: nulli quæ obnoxia vinclo
Lingua hæc: verba cruor mittit, ructatque cruori.
Peſſima vox verum cædis dum nuncia falſæ:
Eloquiturque feræ falſum dum nuncia veræ.
Eſt monſtrum dirum: totum cantata per orbem,
Flammivomum os, vaſto immitis quod pandit hiatu:
Magna chimera minor: parvū eſt componere magno:
Mellea cum rodat guſtu ſic ſenſus amaro eſt,
Cuncta ut diſpliceant triſti meliora palato:
Ex aliena atrox capſa fera pectora nutrit:
Stymphali avis ſæva eſt Phineia prandia fœdans:
Os patulum putens, puteus reſeratus abyſſi:
Fumanti ſtomacho denigrans ſidera cœlo:
Pallor in ore patet, cunctos tum poſſidet artus
Quæ eſt male ſemper olens putris per corpora tabes:
Igne micant oculi, torbi aſpectuque ſevero
In

In quem reſpiciunt lethalia fulmina torquent:
Monſtrum horrendum ingens vultis ſi noſcere vultu,
Dente Aper, ore Leo, viſu Baſiliſcus, & ungue
Milvus, Caucaſeus ventre ales perfida Vultur:
Nil reſerata ſonant, plura ultra atq̃ horrida deſunt:
Sat dictũ: Invidia hæc: hæc eſt fera peſſima: moſtrũ.
En mendax retulit factum cum nuncia patri
Vox fera vera tulit dictis dum nuncia falſis.
Corda tenet genitoris amor, præcordia luctus
Diſcruciat ſævus: jam triſtia pectora ſedem
Firmarat dignam non tali vulnere mœror.
Tecta domus, vallum, firmas per limina valvas
Funerea complent pompa mœſtitia clamor.
Quocumque aſpicias gemitus ſonat, undique fletus:
Porticus alta patet nigro velata colore:
Servus, & ad nutum dominæ perdocta miniſtra
Queſtubus ingeminant duplices ad ſidera palmas,
Tunſa ſimul clauſi reſonant ad pectora pugni.
Juſta parentabat genitor: dum funera ducit
Abductæ ſoboli: prolis glomerata caterva
Confiсto extemplo veniunt ſermone, doloris
Placandi ergo patris ſub dola pectora fundunt.
Abnuit indignum natorum corde parens tunc
Auxilium; ingenuis valeant mendacia caſtris.
Aſpera contrectans ſpinam quam fixit acutam
Plus manus hanc lateri firmat, nova vulnera condit.
Ægra medela venit dira de cuſpide ferri

Quæ

Quæ inflixit vulnus: mors; non medicamen in ipſa:
Non patri, ut quondam Teutranthea regna tenenti
Res eadem caſu vulnus feret, ipſa medelam.

JOSEPH VENUNDATUS A FRATRIBUS iterum magiſtro militum pretio ab Iſmaelitis in Ægypto traditur. Creditam ſibi domini domum fidelis Oeconomus adminiſtrat. Ad turpia pellicitur à domina, de falſoque ab ipſa defertur adulterio, ob quod ab hero in carcerem detruditur.

TUNC lucri cupidus merces qui mutat Eoas
Gemmiferas Nili velox cum pergit in urbes
Inſtitor Iſmael venalia munera portat,
Quot reddunt arbuſta comis umbroſa Sabæis:
De pretio pueri pactum eſt, dextrisque receptis
Auctio mercedis placidas concordat in unum
Partes: ingenuus juvenis ſubſtabat ad haſtam.
Extremum alloquitur longas abiturus in oras
Ad fratres frater, nec fas valedicere cuique eſt:
Non mora, vel nolens, tenuis ceu ſarcinadorſum
Cogitur hirſuti juvenis calcare Cameli.
Ergo iter arripitur: puero nova ſemita, lingua
Quam novit nunquam reſonat, populique virique
Inſoliti occurrunt: fors qua trahit invida tendit.

Sic

Sic ceu nauta recens patrio de litore ſolvens,
Inſuetos vertit curſus, trepidusque per altum
Ingreditur, fragili remo vada cærula verrit:
Cum primum ponto remex dat brachia, terram
Et legit à tergo, ſcribit quoque & æquora remis:
Vincula tunc Aquilo ſolvit, religamina & Eurus:
Huc illuc miſeram moti violentia ponti
Per ſcopulos, Syrtes, cymbam perque ima, per altà
Impellit, paſſimque novos percurrere campos
Thetidis urgetur, neptunia regna, marinas
Sirenum facies, monſtroſa pericula nautis.
Inſula non aliter nabat dum mobilis æquor
Ortygia indomitò tractu, atque erratica ponto,
Sic puer hinc trahitur veluti circumfluus undis.
Inferias ſolvebat adhuc lugubria triſtis
Deflendo genitor juveni, qui fata ſuperſtes
Contra quam rapit amnis tunc ſuperabat acerba.
Et planctus perſtabat adhuc, perſtabat & emptor
De puero quæſtum lucri ſpe ductus avara
Divitiasque augere duplas, ſi vendere duplo
Quam pretio abſtulerat, dederit fors alea lancem.
Servum voce fori præco, tum publica clamat
Buccina, vendendo famulo ſit forſitan emptor:
Tu cave ne ſervum, præco, dominum mage clama
Quis ſit emens puerum: pueri qui penſus ad haſtam
Subjacet, & dominus parens pia juſſa capeſſet.
Mancupio ergo datur juvenis, quem ſæpe coactum
 Noſce-

Noſcere fecit herum ſors rurſus: forte magiſtrum
Militiæ, Martis gnaros formare peritum.
Tunc novus it famulus: vix heros cognitus: intrat
Tecta, domumque ſubit domini: fitq̃ obvia primum
Lecta manus juvenum, famulorum turba tumultu
Haud propera ad juſſum, facti non conſcia prompti.
Ægra jacent tecta infidis concredita ſervis,
Tota domusque dolet famulis, male ſana miniſtris.
Et caput ipſe dolet dominus; nam pondera rerum
Sollicitudinibus poſcunt lenimina magnis.
Ergo puer pietate potis, qua numen ab alto
Deficit haud ullum ſi ſit prudentia, fulget
Conſilio ad dubia ornatus, puerilia quamvis
Ætatis nullum ſpatium annis grandibus implent:
Proſpera ſic facienda ipſi, ſic numine celſo
Vel pueri ductante manum, pene omnia cedunt.
Cuncta oculis perluſtrat herus, tacitusque puellum
Ante omnes animo deſcribit ad omnia vernas:
Magni habitusque puer, dignus cui credere totam
Jam valeat dominus gazam: pretioſior ipſa
(Rara & ſi in terris volucris quæ fallere ſervus
Neſciat) eſt domino, merito re carior omni.
Qui haud pridem famulos inter ceu quilibet horum
Conditione miſer juvenis; ſublimia tandem
Ac potiora tenens, domino vix diſpare ſorte
Alter herus domui, cunctis fortaſſe per omnes
Prævaluit partes famulus, dominusque videri.
Totum

Totum adeo portabat onus, multusque ferebat
Pondera multa domus domini: quin noverat iſte
Nil, niſi onuſta cibis profert quot prodiga lautis
Thyrſigero titubans generoſo menſa Falerno.
Cuncta humeros facienda gravant puerīq fatigant,
Quïdquid & eſt, fidi curæ laxabat Joſeph.
Sat magnis firmatur heri fiducia factis,
Tota bonis creſcitque domus, cumulatur opum vi:
Rumpitur acceſſis (tanta ex tunc copia cenſus
Acreſcit domino) ferrata & capſula nummis:
Horrea frumento exundant, cellaria Baccho:
Quotidie ex agro pingues à gramine vaccæ;
Plena capella venit, complentur vaſcula lacte:
Capra petulca redit multo quam fœnore pridem
Plus gravida ad caulas, teneros balansque gemellos
Uberius revehit, geminoque ſub ubere natos:
Hyblææque avis, aſſurgit quæ examine, pendit
Cura favos quos arte potens ſtudioſa laborat.
Multa per immenſum Phario ſic Martis alumno,
Hebræo moderante domum famuloque fideli,
Pervigili Oeconomo in cunctis fit copia rerum.
Nil melius Joſeph fama cantatur, & urbes
Niliacas complet factis: encomia plauſu
Præco canit dominus nullum peritura per ævum.
Obſequio carus domino, qui munere partes
Difficiles implet totas: aſt forma puelli
Cui decus eſt vultu nitidum, cui maxima frontis

Majeſtas gravitate viret qua vinceret omnes
Niligena ad ſe corda trahit, præſtantia formæ
Currere feſtinas Pharium conſcendere murum
Impellit ſpecie tractas, & amore videndi,
Dum pede carpit iter, teneras quandoque puellas.
Aura hucuſque levi, gravido ſine pondere, fauſtis
Auſpicijs fortuna favens, vultuque ſecundo
Et Ganimedem alis aquilæ per ſidera tollit.
Alta petit: fors grata levat: ſublimia tangit:
Alite ſors dextro, fatis arridet amicis.
Vidimus albentis ſpumæ uſque per æthera montes
Velivolam ſuperare ratem, vi flaminis actam
Ardua ſublimi pertingere culmina cœlo:
Vidimus aſt iterum commotis turbine ventis
Per præceps agitatam ire, extremumque profundo,
Heu miſeram! tentare ſali, fera numina ponti.
His male fida jocis nunquam non perfida falſis
Ludit in humanis anceps fortuna, doloſque
Æternum meditatur: agit procerumque potentum
Semper in adverſum facilis, contraria cauſas.
Talia reſtabant juvenem, qui fortiter heros
Ex hoc magnanimus tolerabat triſtia lætis
Admixta, edoctus tulerat qui mollia duris.
Forma placens, nullo ſtudio contractus ab arte
Splendor & ore nitens, candens tum purpura malis
Arripuere oculos dominæ, quæ oblita jugales
Juratasque toro leges, furtiva marito

Fœdera pertentans, caſtiſſima pectora pulchri
Agreditur pellex pueri: valet ipſaque probro hoc
Vertere Penelope, quin è regione ſugare
Caſta procos auſa eſt thalami fidiſſima cuſtos:
Ah! pereat potius mundum temerare pudorem
Pertentans ſcortum caſtum mala fœmina templum.
Suſtinet incurſus ceu fluctibus obvia cautes,
Effronti juvenis cohibet vim, vique reſiſtit.
Verba proterva puer verbis diſpellere caſtis
Conatur; ſi forte valet, nam terror ad ultra
Vix tempus dederat: fandi eſt non plurima tempus.
Omnia munificus poſtquam manumittere clavum,
Otia pacatæ vult cum captare quietis,
Pondus & ille domus noſtris imponere curis
Conſtituit dominus, ſubito ſic laxat habenas:
Divitias, pretioſa domi, nummi ipſe potentes
Theſauros junctimque humeris concredita noſtris
Dimiſit: nil ultrò, ſua vel ſponte reſervat:
Unam te ſervavit amans, quam dedere noſtris
Uxorem curis nec fas nec jura dedére:
¿Eccur accipiam dominus quam jure maritus
Abnuit ille mihi: domina num pellice abutar?
Nil aliter fumans ſævusque incendia volvit
Cum roratur aquis, ſtillis aſpergitur ignis
Acrius exardens facibus plus laxat habenas,
Adverſisque furens ventis ſuper æthera flammas
Evomit, unde rogum minitatur, fulmina cœlo.

Ignis

Ignis naturam induit immoderata cupido,
Igneus eſt illi robur, flammataque origo.
Fortior in ſolido vis fit, violentia major
Corpore nitenti contra, luctamine ſævit.
Fœmina quid dirum eſt ſi ſit deſpecta, pudoris
Lora tenere manu, curſus cohibere citatos
Neſcia: contemptu majus de pectore vulnus
Pertrahit inſana, & creſcens ardore repulſæ
Firmat ab integro pugnam, reſtaurat arenam.
Perſtabat mulier totis obſcœna diebus:
In votis ſociare toro, comitemque nefandi
Eſt ipſi ſceleris juvenem perducere caſtum.
Ultima conflictus reſtant, ſi plura tot auſis
Ultra fœmineis ex hoc temeraria deſint.
Quicquam operis ſine teſte puer de more, cubicli
Et valvis caſu penituſque à limine apertis
Incautus peragit, toto vacuusque periclo:
¿Quid probroſa Venus, quid non male ſana cupido
Pertentatque effrænus amor? toto ignis ad intus
Exardens à corde furit: ni pectus & ignes
Evomat, exuſtum queritur, dat vulnere flammas.
Ipſa torique fidem, propriumque oblita pudorem
Aggreditur demens: reſerato Marte cubilis
Compellit valvas: intrat: pia pectora blandis
Ni moveat juvenis verbis; Acheronta moveret.
Corpora nuda peplo it, poſito velamine frontis:
Quo plus nuda venit, plus ſic faretrata ſagitis.

Non

Non adeo à Lybica viſu quæ funera torquet
Beſtiola timidus volitat properare viator:
Seu Laertiades cantus quo crimina ludat
Tyrreno è ſcopulo curvam divertere proram
Feſtinat cautus: juvenis cui nulla voluptas
Pellicit aut mentem, fomes nec corpora ſolvit,
Caſtra fugit Veneris, blandæque pericula mortis.
Arma arcumque puer portat Cythereia proles
Ceu gladium ad renes, & habet ſua caſtra Cupido.
Fortior eſt pavidus, pugna eſt & robore præſtans
Quisque fuga Veneris doctus fit ludere caſtra:
Haud armata manus; ſed qui pede fervidus urget
Diſceſſus, palmam revehit profertque triumphum.
Ocyus ecce tibi celeres prævertere Cervos
Eſt opus, arma puer vetito reſperſa veneno
Quo fragili intorquet dextra, tunc fortior hoſtis.
Haud adeo pernix juvenis, quin perfida veſtis
Ocyor intextum arripiens vi fœmina limbum,
Ni precibus valeat; vi jam tentabat aperta
Fruſtra exorandos cordis perfringere poſtes.
Effugit inde puer: manibus quem liquit amictum
(Quã chlamydis mallet dominũ!) ſibi fœmina traxit.
Jam, puer, ipſe fuga tantæ diſcrimina cladis
Viciſti, ſed te, ſic te fera fata ferebant,
Quæ remanet tunica remanent à pellice multa
Ulterius toleranda dolis. Te fœmina caſti
Vel ſontem inſimulabit adhuc de crimine lecti.

Quo-

Quolibet ipſa foro prærepta lacinia teſtis
Deque fide infracta ipſa fidem per numina certam
Juratamque feret: ſtuprum firmabit amictus.
Fœmina quid molle eſt in ſe, ſi agnomina rebus
Conveniunt plerumque ſuis, factisque frequenter.
Mollier: hinc mulier: variat vix ſyllaba nomen.
Quolibet eſt folio levior: ſi pondera pendas,
Aura venit gravior pondo: quam mobilis ipſa!
Non ſecus ac vento celſa quæ ſede locata eſt
Huc illuc agitur quoquo vel concita verſus:
Mobilitate viget: quem nam modo ſubdola carum
Læto animo, gratisque oculis delinit amica;
Protinus inverſa facie, vultu horrida, diro
Proſequitur vindex odio: non finis in ira.
Vulnus ineſt cordi: manibus delapſus ad ima
Pectoris uſque ferit, ſævit tum fœmina lapſu.
Vulnus ineſt, vulnusque manens ceu fixa ſagita
Diſcindit pectus, ſpretæque injuria formæ.
Heu! fuga triſtatam reffert; aſt fimbria rapta
Reſtituet lætam, ſtatuet lenimina cordi.
Sit mage: deriſam faciet me forte videri
Effugium pueri: dominam ſe pendere parvi
Gaudeat: infelix: nunc ſic ſua gaudia ſunto.
Sed veſtis? veſtis, tolles tu à pectore probrum:
Tu mihi vindicta, & tecum me vindice pœnas
Perfidus ille dabit: cordis medicamina morbo
Tu mihi forte feres, tu forſitan amuletum:

Nil

Nil Epidauro opus eſt, fruſtraq̄ Machaona poſcam:
Jam ſcio quid faciam dixit: tunc perfida vocis
Terrifico it fremebunda ſono, labioque frementi
Per totam furit acta domum, lymphataqua currit
Hac illac: geminat queſtus, ſonat undique clamor:
Funditus uſque domus quatitur, quin ſedibus imis
Perſtrepuit latum dextra tectumque ſiniſtra:
Cuncta fragore gravi crepitant: hominesq̄ videres
In dominæ auxilium ire vagos: inde agmine fuſo
Ancillas, ſervos, totamque accurrere turbam.
Ecce hanc: ſi cujus ſit quis cognoſcere veſtrum
Fortaſis valeat veſtem, me turpiter ipſe,
Ah pereat! dominam infamis cognoſcere ſervus
Eſt nixus: cauſam, ò pueri jam ſumere juſtam
Veſtra refert: ſit veſter honor defendere noſtrum.
Una hac rapta manu veſtis contraria factis
Comprobat inde duo ſimul: at per numina vera:
Sic juro: & ſervaſſe fidem me, fœdera lecti;
Et temerare faces juvenem tentaſſe jugales.
Hæc mulier: fictisque oculis porrexit habenas.
Falſa vocat divos, perjura & numina teſtes.
Attonita auditis horret domus alta querelis,
Atque comas terror ſurſum porrexerat omnes.
Quid ſenſus capiat, tantarum conſcia rerum
Hærens & dubia hic mens neſcit, vertitur anceps.
Ipſa negare fidem dominæ reverentia dictis
Non patitur: facti manibusque lacinia veſtis

Rapta auſum firmat: trahit hæc ſententia mentes.
Propugnat juvenem crimen quò fœdius illud.
Si qua fides puero conſervis cognita cunctis,
Et ſcelus eſſe fide majus quis noverit horum.
Ergo nil veſtis, multumque probare videtur:
Quin dominæ firmat falſum delatio crimen.
Hæc inter famulos clam ſic memorata feruntur:
Pars juvenem abſolvit, ſontem non credere paſſa;
Stat medius dominæ tamen & pudor, obſtat honorq̃:
Ducta timore ſilet: tantummodo triſtia vultu
Corda foris nigro mœrore inſcripta leguntur.
Pars dominæ aſſertis hæret, pars iſtaque major:
Semper patrono caruit pia cauſa fideli.
En procerum exurgunt foribus palatia magnis,
Fornicibusque cavis, craſſis ſuſpenſa columnis:
Stant ſaxo Lybico ſolida compage ſuperbæ,
Aeriæ turres tangentes vertice cœlum.
Hac ſpecioſa foris facie ſtat Regia, magna
Exteriusque patent auratis atria tignis.
Nulla venenatis intrinſecus aſpera brutis,
Horret ſylva feris plus quam ſerpentibus aula:
Stellio verſicolor faciem ſimulare, colores
Aulicus alternis vicibus jactare peritus
Abditur hìc nequam, exitioſus hypocrita vultu.
Plurimus hìc ſerpit ſinuoſa volumina fingens
Aulicus & coluber fallax aſtuque malignus.
Ambitioſus ibi popularis ſedulus auræ

Qua-

Quadrupedans inhiat paſcens mala guttura vento.
Pſittacus eſt volucer ficto larvatus in ore
Blandiloquus verbis, ipſe aſſentator iniquus,
Principibus qui aures mellito captat ab ore.
Dente minax Calydonis aper, morſuque tenaci
Invidiæ truculentus ibi, qui lædere cunctos
Aſſolet, iſte frequens procerum penetralia luſtrat.
Magnatum mores hominum qui contrahit uſus,
Tum vafer ac fœdus geſtusque effingere doctus
Simius eſt numeroſus ibi, qui turpia leno
Principibus ſuadere poteſt, aulæ ultima peſtis.
Turma cohorte ruit famulorum, denſaque cornu
Pro domina glomerata facit mala turba clientum,
Æmula quæ nulli heroum pars defuit unquam
Cetera turba domus Joſeph vix ſuſtinet unum
Conſervis præire ducem, moderaminis ultro
Lora tenere manu, ſervo dare jura rebelli.
Pars non parva fidem dominæ, mulcentia verba
Blandiloqua ad ſenſum jactat: pro munere cauſam
Conclamat juſtam: mendax tum numina teſtes
Haud renuit, falſis mentem nec cedere dictis.
Utque aſtu obſcœnæ manibus monſtrata juventæ
Fimbria prenſa patet veſtis, tunc perfida crimen
Aſſentatrice inclamat vox garrula lingua.
Ingenij plaudit dominæ vox improba vires,
Viri celerisque canit mentis, qua & fœmina veſte
Inſimulare reum rapta ſic criminis auſa eſt:

Prodigium mulier tota mentitur in aula.
Immotam ſecum Joſephi à numine legem
Neſcio quam, fixo præſefert ſydere veſtis:
Ah quantis contexta dolis! texuntur in illa
Commenta haud levia, & vanæ mendacia linguæ:
Pectine tela fero abſdubio contexta per omne eſt:
Quæque prius falſo veſtis madefacta cruore
Tunc patrem, ingenuis oculis objecta, fefellit,
Fœminea nunc tracta manu digitisque doloſis
Deceptura levem remanet ſubducta maritum.
Mentitam falſo quondam qua funere cladem
Confixit ſermone ferox mendaxque miniſter,
Hac modo fraude potens falſis fera fœmina dictis
In pectus vana intorquet quoque crimina caſtum.
Temporibus quam retro actis, poſt terga relictis
Et tunicam juvenis mentito ſanguine merſam
Falſa fera; aſt fera vera tulit fera peſſima raptrix.
Nunc & ab integro chlamydem ſine ſanguine caſtã
Veſani ſtimulis ſævis agitata furoris
Heu! Fera ſæva tulit, rapuit, fera peſſima traxit.
Callidus ut prædo victum qui quærere rapto
Aſſuevit, quò clauſa foris fidentius auſit
Oſtia firma ſera falſare, à cardine vectes
Adnotat arte vigil, tempus, circunſpicit horam
Qua domus alta vacat, tecto qua habitator aberrat:
Cum male tuta manens conſtat vacuata colono:
Quò caſtum temerare queat, quò infringere firmis
Occlu-

Occluſum pectus valvis, compellere murum,
Atq̃ aditum ad mentem juvenis, quò perfida furto
Obſcœno potiatur, avet, ſponſique receſſum
A tecto inſidioſa notat, tempusque receſſus:
Falſa animo, æternum apta dolis, infida meretrix.
Inſcius ergo aberat conjux, quem grandia belli
Munia diducunt: gravibus mavortia curis
Officia illaqueant: rigidi tum prælia Martis
Otia blanda domus, tranquillaque ſomnia noctis
Exturbant crebrò. Tantis bella horrida curis
Marticolam jactant animum, Bellonaque diris
Legibus armiſonans rapidis exercet in armis.
Eſt aliquid præire ducem armis undique ſeptum
Criſtatas numerare acies, atque ordine fixo
Pugnaces equitum frontes, peditumque maniplis
Inſtructos celeri cuneos componere bello,
Tyronumque ad Martis opus formare juventam,
Præceptis aptare rudem denſo agmine turmam,
Quò firmo hoſtiles oppugnet Marte catervas.
Multa ducis rurſus reſtabant publica curis;
At privata domus clamant, totiesque relictos
Ob Martis cultum ad proprios remeare penates.
Liminis ut valvas, clauſas munimine portas
Janitor ad nutum domini reſerabat ab intus,
Obvia in ornatos conjux diſperſa capillos,
Oblongum haud induta peplum, non carbaſus alba
Ornatu teneros ſolito decorabat & artus:

Cul-

Cultus ab ore latens, facies mutata colore:
Lumina ſcintillant torvos vertentia vultus.
Nil niſi acerba vomit: ſæva atque furentis imago
Intus erat: rabida ſuccenſens pectus ab ira:
Obvia ſic ſponſo fit fœmina: fœmina tantum
Præ manibus chlamydem juvenis luctamine raptam
Vocitat, irato ſeſe fremituque ferebat.
Noſce hanc. Proh di! nunquã tam prope noſſe procacẽ
Cujus & hæc, decuit: tecti vel limina noſtri
Calcaſſet nunquam: ò utinam ſic fata dediſſent:
¿Tanta ne de infido tibi confidentia ſervo?
Ipſe meum, iſte tuumque uno temerarius auſu
Molitus nitidum geminum fœdare decorem.
Cum pretioſa domusque, domum conceſſeris ipſam
Sub famuli ditione libens, hic forſitan & me
Cum gaza permixtam habuit, tumidusque licenter
Me ſibi conceſſam reputat, nam talia demens
De domina haud dubitat: noſce hanc, hã reſpice veſtẽ.
Hæc ſtuprique fides, hoc criminis argumentum.
Bellica non ſtrepitu tormenta horrentia Martis,
Ferrea terrifico mittit quam machina bombo,
Gleba nec auditus ſonitu ferit ardua ſenſum,
Quàm ſubito feriente ſono, quàm murmure rauco
Horrida verba leves turbarunt conjugis aures.
Credulus it nimium, per totam accenſus in ira
Bacchatur demensque domum: cœco inde furore
Sævit inops mentis: cædes meditatur, & ultor
Ad

Ad pugnam præceps diſtricto fertur in enſe.
Spiritus hac Mavortis abit, lex ferrea belli:
Altera at interea (dubia eſt dum cauſa) furentis
Conſilio potiore trahit ſententia mentem.
Ergo necem miles revocat; pro funere judex
Antra ſubobſcura, umbroſo quæ à fornice tetra
Horreſcunt oculis, dignum quem carcere ſontem
Judicat, iratus nimium de crimine, mittit.
Sic cauſam dirimit judex, dum à limine juris
In cauſa ſponſæ, ut propria, eſt exceptio partis.
Aſt & iniquus agit judex ſine munere litem,
Dictio cui juris nulla eſt, nec notio cauſæ.
Examen nullum præit, diſcuſſio teſtis
Delatrix profert fallax quem fœmina nulla it.
Unica veſtis adeſt, tantummodo fimbria teſtis:
Ad trutinam veniat veſtis ¿quid juris in illa?
Te decet, ò judex, noſcas examine teſtem:
Quærito jus factis: in factis jura loquuntur.
Arreptam tantum illa fugam; nil ſuadet & ultra:
Hæc recitant acta: & factum quid referat audi:
Non fugit à ſcorto, ò judex, ob crimina, non ſons:
Abſcelere ob ſcortum fugit, atque à crimine caſtus:
Tempora diſtinguas, aderit concordia juris:
Juraque concordes aberit diſtinctio factis.
Sint tibi nunc juvenis (quicquam ſi in pectore ſervas)
Mente repoſta fides, candor moresque vetuſti:
Excidat haud animo pietasque, modeſtia vultus

Quæ

Quæ teneris quondam celeber fulgebat in annis,
Inſita quæque prius fuerat prudentia menti,
¿Tanta ne nunc abſint tantis ſervata diebus?
Hæc: bona cuncta domus fido quoq credita ſervo,
Auctio adivit opum, locuplex tum copia gazæ.
¿Quem tantis domino commendant munia fidum,
Infidum dominæ faciet laſcivia ſervum?
Quà domina eſt uxor, dominam præſumptio juris
Propugnat ſervaſſe fidem, tædamque jugalem.
Quærito jus factis: in factis jura loquuntur:
Quà juſtus juvenis, juſtum præſumptio facti
In dubia ſaltem abſolvit de crimine cauſa.
Cauſidica hæc ratio pravo cum judice certans
Suppetias juvenis cauſæ argumenta rependit.
Attamen, heu ſortem! Tantis, hoc judice, dictis
Carceris abſtruſi fauces mittetur in altas.

TRADITUR IN CARCEREM JOSEPH, ibique clauſus manet. Ei Dominus gratiam dedit in conſpectu principis carceris, qui tradit in manu illius univerſos vinctos. Somnia Pincernæ & Piſtoris ediſſerit. Exit tandem è carcere ad imperium Regis.

PErſtat ab æterno ſoboles, quæ æquæva Parenti
Diva per omne manet, divæ quoq mentis imago:
Ver-

Verbū erat inde Patris Deum apud, ſic manſit ab ævo:
Sicut eratque in principio, ſic gloria ſemper
Permanet uſque hodie immota, æternumq̄ manebit:
Compar utrique pari jure: at natura duobus
Spiritui divoque eadem, tres nectit in unum.
Sic fuit æternis Verbum, ſic propria Patris,
Quæ eſt & utrique ſimul, natura incognita ſæclis.
Ipſa ſinu æterni longos quæ incluſa Parentis
Per curſus latuit proles, ceu clauſa cubili,
Temporibus manifeſta novis, habituque recenti
Vulgo ut homo inventa eſt humanis accola terris:
Accipiens ſervi formam, qua ſervus ab orco
Addictus redimatur homo: tunc carcere vinctus
Virginis occluſum clauſtrum haud exhorruit alvi.
Per cunctos tentatus abit, patiturque labores:
Tum Pater inque manus ejus ſic omnia donat,
Ut vinctos, clauſis facilis quos carceris antro
Protoparens, manibus, cunctos quoq̄ crimine tentos
Illius ipſe parens dedat, quò liberet omnes:
Ceu vinctus clauſtrum perfert, redimitque ligatos,
Ex his quæ eſt paſſus miſeris ſuccurrere diſcens.
Hæc Hebræus agit juvenis, clauſusque labores
Carcere dum patitur, ſacra in ſe myſtica ſignat:
Illum ſervus agit juvenis qui ſumere ſervi
Non formam renuit: ventris cuſtodia clauſum
Quem tenuitque novem decurſis menſibus alvus,
Clauſus & ipſe diu juvenis de carcere profert:

Conſimile aggrediuntur iter, ſimilesque feruntur
Officio concors Joſeph, tum munere Jeſus:
Ut Phariam ille dein ſalvet de funere gentem,
Iſte omnem redimat vitiato à ſemine mundum.
Eſt locus obſcurus ſedes camerata cavernis,
Si tamen ille locus, potius latebroſa ferarum
Foſſa profunda, nigro haud facilis referatur ab ore:
Vectibus huic aditus centum ferratus ahenis,
Occluſusque foras, tantummodo apertus & intro:
Carceris hic locus eſt, picea caligine opacus,
Verius ille lacus, gurges cœnoſus ab ulva,
Concretique rigens tenebroſo frigoris antro:
Triſtibus umbroſa eſt Regis cuſtodia vinctis,
Infeſtis horrenda diu noctuque tenebris.
Ipſi ibi deſcenſus facilis cui è vertice gyro
Fortunæ fixiſſe viro fulcimine clavum
Viſum erat: humanis vicibus ſic improba ludit
Quæ nunquam ſtabilis pede fors firmatur eodem.
Verſis ſic digitis heroum numina vitam,
Fila trahunt ſuperi vario contexta colore.
Multiplici à ſpecie conſtant qua corpora mundi
Pulchrior exurgit facies, ſpecioſaque forma it.
Riſu prata virent, gratos emittit odores
Hortus ab irriguo variorum flore colorum:
Aptius aſtra polum, vario tum munere cœli
Diverſa exornant facie quoque luminis orbes.
Diſplicet unitono ſemper modulamine cantus,

Gra-

Gratius & mulcet vocum diſcordia concors.
Cui quondam juveni facie fortuna ſerena
Arriſit, nunc torva virum crudelibus actum
Caſibus inverſo tractat contraria vultu.
Macte animo, juvenis, ſic heroumque, virumque
Magnum ex hoc nunc quid certe monſtrabitur in te:
Cœlitibus meritò dignus miſcebere magnis.
Carceris ergo antrum ſceleratos inter & ipſe
Quaſi unus de illis heros deſcendit ad imum,
Compedibusque pedes adſtrictus, corpora loris
Multa diu tolerabat egens, vinctusque manebat.
Haut patet in cunctis paritas; aſt ipſe patens fit,
Poſtea qui infernas moriens abiturus ad umbras
Haud vinctus, vinctos traheret, clauſosque bearet.
Implicitos vinclis ſontes qui munere princeps
Carceris aſſiduus tetris condebat in antris.
A cunctis disjunctum unum vinctisque ſeorſim
Degentem obſervat Joſeph, moresque notabat.
Prænitidum caſto verbum veniebat ab ore:
It gravis inceſſu, forma ſuperabat & omnes:
Ad nutum facilis, promptus mandata fideli
Servabat cura, celeri pernicior aura:
Nil geſtu impurum, cunctis placida indole mitis:
Sed ſi cui virtus, virtus fulgebat in ipſo.
Corde humilis, brevis ore, micans face, fronte ſerenus,
Mente pius, celer aure, gravis pede, corpore caſtus.
Eſt virtute nihil potius, cui turba ſiniſtro

* Dex-

Dextroque eſt lateri charitum ſociata ſororum,
Plurium hypoſtaſeon facilis cui gratia triplex.
Saxa vel Amphion lepida dulcedine cantus
Se traxiſſe ferat jucundus; ſed prece blanda
Ferrea corda hominum, rapuit præcordia virtus.
Principis, hac virtute potis ſic carceris ultro
Qui pronepos heros Habrahæ, cui gratia divum
Ad ſe corda tulit, probitas ſibi pondere traxit.
Hinc vinctus vinctos, cunctos, quos vincula tortis
Nexibus adnectunt, pœnas qui crimine ſontes
Expendunt dignas, princeps ceu carceris alter,
Rector & ipſe regit: ſic illius omnia nutu
Expectant facienda, prius, monitisque reguntur.
Hic ibi deflentum triſti fatalia caſu
Vincula, cunctorum requies erat, hicq̃ gementum
Admonitu hortator leni, pondusque catenæ
Tum propria ipſe manu miſero quandoque levare
Aſſuevit: rigidi humanus quoque pondera ferri
Ad cædem addictis hic humero tolerabat utroque.
Pes fuit adſtricto vinclis, oculusque ſepulto
Non raro in ſinibus tenebroſi triſtibus antri.
Sæpe ſalutiferum tulerat medicamen ad ægros:
Rixantum aſſuetus dubias componere lites:
Totus erat cunctis, erat & pia viſcera totus,
Qui pietate pari pollens, erat omnibus unus.
Haud male tanta notant Piſtor, Pincernaque Regis,
Qui pariter vincti ſolvebant crimine pœnas:

Hi

Hi refferre gravem cruciat quæ pectora curam
Huic quoque fatidico, norant quem numine Vatem,
Conſtituunt pariter, narrareque ſomnia quiſque
Sollicitus, varios tentat memorantia caſus:
Peccárant pariter, pariter vexabat utrumque
Conſcia mens facti, teſtisque domeſtica culpæ.
¿Ecquid io, pueri, ſolito plus pectora curis
Verſatis triſtes? Facie quæ cauſa notatur
Inſigne oſtendit mordentis viſcera noxæ.
Præteriti hæc Vates facti, pariterque futuri
Præſcius eventus quærit, quò ſomnia cuique
E latebris ducat, dubijsque imponere metam
Mentibus ille queat, veraxque latentia ſignet.
Propria quem auſpicijs dederant jam ſomnia doctum,
Somnidicum irriſere prius, falſoque labello
In quem probra dabant fratres maledicta vomebant;
Nunc precibus proſtrata, pio gens extera Vati
Viſa refert, viſis anceps reſponſa requirit.
Ergo erat à pateris qui princeps ſomnia nutans
Sic fatur trepidus. Gravidam mea lumina vitem
Criſpanti inſpiciunt folio, patulisque comatam
Crinibus, aptatam tenero dare palmite fructus
Libandos labris: triplici propagine ramus
Paulatim creſcens, nodoſo à ſtipite gemmas
Turgentes profert, tenerorum à germine florum
Purpureas votris vitis læta educat uvas.
Inde mea inque manu Pharius quo pocula libat
Cra-

Crater erat: botris proprio mihi munere preſſis
Completam pateram Regi de more dicatam,
Guſtandam libo: viſum tu ediſſere noſtrum.
Alma ſuas natura dedit, ſua munia, partes
Seminibus vegetûm: virtus hæc, brachia ramis
Qua extendant patulis, coctumq; accreſcere pomum
Prævaleant, fœtusque ſuos, nova ſemina rurſus
Officium eſt plantis. Oſtenſa hæc munia ſomno
Obſignat vitis gemmat quæ è palmite baccas:
Hinc botro exoriens vitis gravidata recente
Antiquum obſignat munus: quin pocula regi
Denuo te ut quondam valido ſpumantia muſto
Libatum ire, ſcyphum conſecratum ire Falerno.
Illa exercitium ſignat tum muneris actum
Uva expreſſa manu, in calicem muſtumque refuſum.
Trinum à vite pari natum propagine germen
Viſa ferunt, ſed viſa tibi certiſſima facto.
Trina dies ſuperat, tria ab hinc tibi lumina reſtant,
Trina propago: dies trino de palmite fertur:
Priſtina poſt triduum Princeps te ad munera pinguis
Reſtituet menſæ Pharao, rurſumque priorem
Propinare mero calicem mirabere plenum.
Hæc tibi quæ certè Vates nunc reddo futura,
Tu cave ne in vacuum capias, veroque referre
Tu grates Vati meritas quandoque memento.
Hoc tantum facias: dulci dum corda Lyœo
Regis de pateris noris jucunda litatis,
Mu-

Munus fac de me juſtum, bona dicito verba.
Ergo fac inſpires Regi pia facta, ut ab iſto
Carcere me inſontem educat, nam fraude maligna
Sublatus furto ſum, & me mala fata probroſis,
Invito domino, qui iterum me plangit ademptum,
Ac ſi flagitioſum hominem, religare catenis.
Sedulus arrecta Piſtor qui hæc percipit aure,
Prudenter referaſſe virum ſic ſomnia Vatem,
Horrendum exponi viſum, vexantia mentem
Ancipiti tentat pavidus quoque ſomnia lance.
Trina caniſtra meum torto de vimine nexa,
Farreque plena, caput dura curvantia mole
Territus aſpexi: calathus ſed celſior unus
Pinſita quæque mea fiunt ſtudioſius arte
Latus ab integro fundo pandebat ab imo:
Certatim ad ſapidas eſcas pictæ ecce volucres,
Alituum omne genus volitant: invadere cuncta
Aſpiceres roſtris, rabidamque immittere in alvum
Lumina trina tibi triplici digitata caniſtro
Tres ve dies deſunt properum minitantia lethum:
In caput alta tuum exitiali pondere ciſta
Omineque infauſto venit, atque à pondere preſſum
Vel caput hæc ſignat: capitis damnabere nequam.
Fiſcina quas portat, roſtro pennata voraci
Depaſcens eſcas, alto de ſtipite carnes
Pendentes avido inde tuas ſic gutture Gracus
Mandet inexpletus, rabidoque à gurgite Milvus.

Ter-

Tertia lux aderat, triplicem cum Phœbus ab ortu
Exurgens, croceo vultu contorſerat orbes:
Tertius ille dies primus, quo fauſtus ab alvo
Materna egrediens gentis Dominator aduſtæ,
Quo natale jubar primas exhauſerat auras,
Splendida regifico Pharao convivia luxu
Inſtruit: accurrit præpes conviva vocatus,
Patricius clarus, gnavus bello impiger armis
Dux, procerum cœtus, primatum turba, tumultu
Illuſtrisque cohors, numeroſa caterva potentum:
Complerant menſas denſoque examine mappas.
Conferti calices ibant, pateræque redibant,
Atque litata mero veniunt carcheſia Baccho.
Pocula jam Regis mentem, Procerumq̃ Virumque
Vertebant iterata caput, tum corda viciſſim.
Ad Pincernam igitur Regis pia pectora verſa;
Averſa aſt extant in piſtorumque magiſtrum:
Inde vetuſta prior recipit ſua munera, partes
Officij tribuit Regis lex lata prioris,
Ad calicisque venit ſortem de more ſacrandi
Imperio Regis grato Pincerna beandus.
Piſtori aſt contra triſti fatalia ſorte
Ligna cruenta crucis dantur, trabs alta, ferumque
Edictum capitis, decreta horrentia cædis:
Hunc miſero exundans epulis menſa alta catinum,
Poculaque hæc mœſtum mittit ructantia muſtum.
Auſpicium impletur totum per ſomnia verum:

Veri-

Veridicus perſtat fidus per ſomnia Vates.
Audiret forte hæc aliquis de carcere vinctus
Auſpicia enarrata viro: ſic carcere toto
Iret ab aure fides: audita impletaque fauſto,
Improbo & eventu, vincto de utroque videret.
Irent abſdubio magni præconia facti
Carceris abſtruſi ſpatium diſperſa per imum:
Vinctus ſic vincto celebri tunc augur ab omni
Plauſu iret, totoque loci laudandus ab antro.
Dignior hinc vate & nullus memorandus Hebræo:
Pincernæ tantum veniunt oblivia Vatis.
Proſpera ſuccedunt homini: fortuna ſecundis
Extollens rebus mentem, de interprete fauſto
Avertit velox animum: palatia tantis
Horrent & ſævis intusque feracia monſtris.
Haud penitus maledicta probes proverbia quæ ſic:
Qui cupit eſſe pius ſolers hic exeat aula.
Non bene conveniunt, veniunt male juncta per unũ
Majeſtas & amor: ſolium prope dicito ſolum.
¿Num de me pietas, dederit quia munera rurſum
Fors, me ſomnidico, fuerat quæ priſtina, deſit?
¿Tamque fera à ſolio meritorum gratia venit?
Forſitan inverſa Piſtor ſi munia ſorte
Priſtina ſarciret, nec verba infauſta tuliſſet,
Gratior ille foret, forſanque ob ſomnia gratus.
Quid facis? Ah demens! quæ nunc te læta ſequuntur,
Inverſo poſſunt fieri tibi triſtia fato.

Ne quicquam profana dabo, quæ indigna relatu
Exempla ad ſcenam: veniat non Creſus ab amne
Tranſvecto pauper, multam qui evertit opum vim.
Nec Jovis huc veniat deriſa Menecratis arte
Fabula, nec teneas auſum falſare Tonantis
Fulmina jam ſævas dantem Salmonea pœnas.
Neve feros partus immania monſtra reponam,
Quos trahit è celſis infida ſuperbia pulſos.
Sacra cano, ſacris tanquam melioribus uti
Me decet exemplis tentantem vincere veris.
Ad cœlum jactet ſtudium Babylona ſuperbum,
Evehat & Nembroth faſtigia ſumma rebellis,
Et Babylon reddet, temeraria crimina Nembroth.
Quæ æternum fundabat opus, manſura per ævum,
Æterna impellente manu, diſijecta per imum
Corruit, & nexu moles compacta tenaci
Funditus everſa eſt, ſtratumque à culmine ſaxum.
Præſago aſpectu ſapiens ſi tempora noris
Poſteriora tuis, ſpecimen tibi ſufficit ultra
Quod turrita ſuis Babylon urbs inclita muris,
Procera inſurgens baſibus ſtatua edita firmis:
Ferro, auro, argento, ſolido æreque ducta metallis:
Mole ſua ſtare, ac proprio ſibi pondere nitens
Æternis fixa haud dubitatur machina ſæclis:
Inſtar ephemeridis parvo ſtat tempore, donec
Abciſſus de monte lapis, de ſedibus altis
Illiſam pedibus devexo pondere tractam
Per

Per præceps agitat, pellitque à culmine molem.
Arbor plus juſto vaſto ſtat credita trunco,
Ambitioſa levi contingens vertice cœlum:
Luxurie ramorum ibat diffuſa per auras:
Fructibus illa ferax cunctis, piceaque ſub umbra
Converſantur aves: altis pendentia ramis
Hoſpitia ædificant, luteisque cubilia tectis:
Dum magis ipſa, magisque virens, dum divite faſtu
Alta cacumen agit, collum per ſydera tollit,
Ocyor è divis unus vigil ecce ſupernis
Terriloquus veniens, grandi ſuccidere voce
A radice jubet cunctos ad culmina ramos.
Utilis & pariter tibi ſit, ſi hanc cernis, imago,
Rebus in humanis quam ſit ſors legibus anceps.
Ille faretratæ faſtu qui Perſidis unus,
Atque à Rege ſecundus abit, rebusque ſecundis
Gaudet: at inde miſer, turpes qui dedere pœnas
Quam parat ille, cruce infami reffertur adactus.
E ſuperis illud vehitur quod ad æthera, celſum
Sydus in ima venit lapſuque in tartara miſſum.
Corpora magna cadunt vaſto quæ errantia cœlo
Excidium pariter, certam gemuere ruinam.
Ergo fac timeas: te præcave forte relapſum,
Quo minus huc redeas, repetas modo crimina pravus:
Non erit inde locus rurſus tunc limina fauſti
Vatis pulſandi: meritam patiere repulſam:
Perdius è vinclis imo de pectore tractos

Sic geminans luctus ipſe aſpera fata perurget,
Pincernæ infandi pariterque oblivia Vates.
Menſtrua ſex quater celeri jam tempora motu
Bijugum ducens currum, faciemque triformem
Luna dabat pernox albentia lumina terris,
Et geminos rutilus glaucis emerſus ab undis
Cuncta videns Titan pernix evolverat orbes.
Nox abit alta nigris hominum cum ſomnifer umbris
Lumina clauſa trahit Morpheus deluſa figuris,
Multiplici internos vexans ab imagine ſenſus.
Hinc Pharaoniacum noctis ſimulacra ſub umbras
Præripiunt animum: vigili formidine vultus,
Et nova ſpectra videt nullis prius agnita formis.
Se ſuper undoſi devectum flumina Nili
Nocturna reputat requie: de fluminis ora,
Aſcenſu propero viridi & de marginis ulva
Cernuntur Vaccæ riguæ à pinguedine ripæ
Et craſſæ ſeptem, plenoque ex ubere pulchræ.
Gramineas habitant oras: ad littora rivi
Paſcuntur ſaturæ: tenero de ceſpite pingues
Hauſto poſt latice emergunt, reſonantque boatu.
Inde aliæ totidem fœdo ſquallore per omnes
Adveniunt artus: corpus contexta per omne
Pellis aduſta riget, tantummodo & oſſibus hæret.
Hæ ſabulo informi ſeptem de littore vaccæ,
Quæ emergunt, ſterili graciles paſcuntur arena.
Inde fame inſana queruli jejunia ventris

Pla-

Placare exoptant, vel ſicque vorare priores
Dente avido pingues certant à gutture macræ.
Terrificat Pharium viſum mirabile Regem,
Suſcitat à ſomno pavidum: ſed ſomnia rurſus
Ambiguum impellunt curis, animumque trahebant.
Septem culmo uno, calamoque virentia ſurgunt
Ceu Cereris dona & ſpicis turgentia flavis:
Ipſa nimis pulchris meſſis tum munera plenis
Conſtant ſpicis: ſolidum præ pondere granum
Triticeum nimio croceam ſinuabat ariſtam.
Septem aliæ poſt has, primis aſt diſpare viſu
Exortæ ſubeunt tenues, quas pallida tabes
Exeſo fructu macilenta uredine turpat.
Quod decus in pulchris vernabat ab ubere fructu
Egregium, graciles proprio ſquallore vorantes
Exinde inficiunt, impaſto dente fatigant.
Talia Rex patitur Pharao, quæ filius atræ
Noctis ab immiſſis pictisque in imagine rebus
Inſcribit ſomnus: tacitis notat omnia curis.
Mane novum Phario ſurgens Aurora trahebat:
Tarda venit lentis, quo plus optata, quadrigis.
Vix primæ croceum lucis Tithonia ſignum
Ediderat terris: ſtratum Rex molle relinquens
Extemplo ſapientum omnem concurrere cœtum
Præcepit vatum, viſi qui abſtruſa recludant,
Munere ſomniloquo referent myſteria docti.
Regis ad imperium pernix adſtabat aruſpex,

At-

Atque omni interpres ſapiens properabat ab urbe.
Somnia commemorat Pharo, memorata per artes
Extricare ſuas, nodum diſſolvere nullus
Prævaluit, quamvis magicos conatur inanes
Aſtus conſulere: in caſum tentamina cunctis.
Ipſe ibi falſa dabat ſapiens Chaldæus ab aſtris
Reſponſa aſcitus: vano Brachmanus ab indis
Conatu reſerare audet myſteria doctus.
Non ſcythicis veniat fallax huc Theſala ſuccis,
Colchica nocturnos revocet nec carmine Manes,
Quæ mentem divûm fallaci indagine ructat.
Adciſcat Pharius quamvis qui ſydera ſignant,
Qui volucrum tractus, teneris qui viſcera fibris
Inſpiciunt pecudum; eventus qui à fulminis igne
Prædicunt, vanum fundunt tentamine niſum
Jam ſpes omnis abeſt, Regi jam nulla ſuperſunt
Vota dijs, operam fruſtra eſt abſumere contra.
Tunc Pincerna ſui memorans oblivia Vatis
Uſque adeo culpam, ſe ſeque fatetur iniquum.
Geſta, virumque pium, totamque ex ordine Regi
Hiſtoriam referat: vincti tunc grandia plauſu
Stemmata commendat, præclarum nomen avorum
Iſacidi generis, ſacro quoque ſtipite ductum.
A virtute pium memorans, à numine vatem:
In tantoque viro pleno jam vocitat ore
Et ſuperum reſidere genus, tum ſemina divûm,
Interpreſque dêum Joſeph caducifer alter
Pin-

Pincernæ tunc voce nitet, celebratur & augur:
Somnidicum abſque errore probans expertus & ipſe
Reſponſa ad mentem ſemper conformia vero.
Dicta movent Pharium pectus, quæ forſitan ante hæc
Tempora dicta forent narrata ut fabula ſurdo.
Non facile exacto merces pretioſa labori
Debita ponderibus juſtis penſatur, & ingens
Virtutis meritum profuſo à ſanguine partum
Labitur ex animo, tergum dant præmia dignis.
Sæpe petita, pede ignavo de ſede potentum
Gratia danda venit, roſeo obſignata pudore.
Ut miſerorum hominum caſus, ſubitæque; ruinæ
Primores raro, vix alta palatia tangunt,
Haud adeo aſſueti Proceres perferre labores
Dedignantur opem miſeris, lenimina lapſis.
At ſolet interdum facie quæ eſt nata bifronte
Vertere, ut inconſtans, orbi in contraria gyrum:
Tuncque pede adverſo magnorum tecta virorum
Proculcare ſolo, gemmanſque inflectere ſceptrum
Imperij, humanæ eſt tanta inconſtantia ſorti.
Ah quam tunc humili, atque arcto luctamine, flexo
Pectore, opem à miſeris miſeri ſolatia poſcunt.
Promiſſis tunc larga manus: donaria complent:
Pauperies locuplex fit tunc, it prodiga egeſtas.
Multa tulit non digna viro probroſa paluſtri
In cæno Marius: triſtis mala pertulit exul.
Magna fuit Samij fortuna Polycratis: ipſe

Sor-

Sortis alumnus erat, potius tu dicito partum:
Sed vice mutata ultorem perſenſit Orontem.
Zeſar & ipſe cadit cæſus, fortunaque in ipſum,
Quæ prius arriſit, cultrum contorſit amicum.
Ille potens armis denſos Beliſarius hoſtes
Multoties qui abigebat, obans qui hoſtilia portans
Signa, urbis norat portas aperire triumpho;
Hunc fortuna tamen cæcum dea cæca reducit,
Et portas iterum pulſat, ſed pro ſtipe pauper.
Subſidium hos jam poſcere qui fulcimina multis
Multa dabant, adigit fortuna volubilis orbe.
Fors hæc eſt Pharij Regis, quem plurima curis,
Conſilij expertem, ac inopem quem ſomnia reddunt.
Continuo ad juſſum Regis violentius Euro
De ſolvendo edictum inſonte ad vincula miſſo
Carceris ad biforis reſonans it limina portæ.
Ut decuit Regem tetrica gravitate miniſter
Juſſa gerit: pacis virgam caducifer altam
Explicat ingreſſu, vinctum pompaque ſuperba
Extrahit: extremum hic vinctis affatur amicis.

SISTITUR CORAM PHARAONE JOſeph in arcto ob ſomnia poſito; hæc adamuſſim ediſſerit Joſeph: ſimulque futuros ex illis eventus prænuncians, quidquid ad ipſos præcavendos agendum ſit enunciat: Propter hæc univerſæ terræ Ægypti præpoſitus conſtituitur.

SOrdidus, obſcuro utpote qui fœdatus ab antro
In lucem vinctus prodit: nova lumina, poſtquam
Tractus per varios duxerunt numina Vatem,
Et metamorphoſim ſemet tunc conſpicit heros.
Squallidus apparet totus: diſciſſa per artus
Ibat ab obſcœna vitiata putredine veſtis:
Dedecus exterius non lota per ora trahebat,
Qui prius à forma decorabat corpora vultus.
A pedibus, longo manſit quo in carcere tractu,
Calceus aptus abeſt, tantum circundata ferro
Planta vigens ſpurcum illuvie tranſmittit odorem.
Cæſariem intonſus flavam, impexuſque capillos
Panditur: haud denſo frondent ergaſtula Buxo.
Ergo inhonorus adeſt: graveolente inglorius adſtans
Corpore, mundari penitus, fœdaſque jubetur
Totus ab ore notas pelli, atque à vertice turpes
Purgari fæces. Sparſos, quos torta capillos
Prorſus nulla ligat, ſtringitve ad tempora vitta,

Atque comam reſecat, tonſorius aptat acutus
Culter, & exculta contexta haud ſegniter arte,
Qualia ſiſtendum aulæ veſtimenta decebant,
Induitur radiato auro, tum murice picta,
Quæ egregiam ornarent apto de corpore formam.
Tunc quem non hominem tantum, ſed numine ſacrum
Semideumve virum jam ſentit, amore videndi
Flagrabat cupidus Pharao, quem ſomnia juſto
Plus cruciant vigilem. Complentes juſſa miniſtri,
Servorum ſtipante manu, properanter ad horam
Producunt medium reverendum munere Vatem.
Nulla mora eſt: avidæ Regis latitantia menti,
Vate dato ante oculos, Vatis dat viſa per aures.
Somnia bina uno pariter præcognita viſu,
Præſtantemque boum ſeptem pinguedine turbam
Somniloquo exponit, turba hæc pulcherrima cœtu:
Septem iterum, tenuesque, cohors inimica priori
Narrantur Vati, turba hæc fœdiſſima vultu.
Rurſus culmo uno, ſolida celeberrima meſſe
Spicea grana refert, Cereali à numine ſeptem.
Has ex adverſo totidem carioſa per intus
Quas urit macies, graciles ſectantur ariſtæ.
Spica vorat tenuis pingues, pariterque priores
Vacca boves craſſas ſanie macilenta perurit.
Hæc te diſcutienda manent ænigmata: ſenſu
Multa latent veneranda, iſtic quæ exponere vatum
Cunctis haud valuit prorſus de aſtantibus unus.
Hæc

Hæc Pharius: ſceptro populi compeſcit eburno
E ſolio aſtantis murmur, tota atque tremendo
Aula ſilet Regis penitus conterrita nutu.
Aure erecta omnes, oculos atque ora levantes,
Intenti dicenda novo reſponſaque Vati
Opperiuntur: at ille dedit cui numina numen
E ſuperis fandi, venientia tempora ſignis
Haud dubijs referans, verbis ſic fatur adorſis.
Unica res gemino tibi, Rex, fit pervià ſomno,
Plurimo & in ſigno tantum ſignatur at unum.
Ille potens cœlo, ſæcli qui objecta futuri
Cenſet ab exorſu, obtutu præſentia tangit
Præſago ventura, novis operandaque ſæclis,
Hæc tibi viſa dedit tacita dum nocte quietem
Carpebas ſomno, dederas cum corpora lecto.
Spicas, quas ſeptem pulchras, Vaccasque videbas
Vel craſſas totidem, ſeptennia tempora noſcas
Te decet, ex ipſis pariter quæ uberrima ariſtis
Horrea complebunt, undans erit area meſſe.
Turpia deformi pandunt quæ corpora vultu
Septeno numero vaccæ, ſpicæque rigente
A glacie exeſæ, pellis quibus irrita fructu eſt,
Hæ toties ſobolem ſignant Hyperione natam
Zodiaci ſigna aſtrigeri duodena per orbem
Viſuram eſurie miſera, quæ palida terris
Hæreat, ut ſterili nulla adſint ſemina ruri,
Tunſaque triticeis ſit frugibus area nulla.

Nequicquam agricolæ tellus ſindetur adunco
Vomere, reſtituet ſemen nec fida colono.
Dura fames Cereris non grata oblivia priſcæ
Incutiet populis, frugum vertetque priorum
Immemores hominum mentes, ſegetumq̄ valentum.
Magna hæc terrigenis, ſeptem poſt tempora magnæ
Fertilitatis erit clades, tum peſſima terris.
Hæc tibi certa dabit veris qui ſomnia celſus
E ſuperis retulit ſignis, annisque futuris
Implenda omnino: re vera & tempora ſero
Haud venient curſu: properis jam paſſibus urgent.
His, quæ Vatis erant dedimus, tibi cetera Conſus
Conſilio facienda dabit, quò providus arctæ,
Quæ ſæva eſt preſſura, fami gentes, pecudesque,
Effugium ex hoc jam tentes, atque obvius atræ
Procedas ſtragi, monitæ cautusque ruinæ.
Nil opus eſt Conſo. Oeconomum tu præfice doctum
Qui major Pharia ipſe domo (modò neſcia fraudis
Per proba facta virum firmet mens undique fidum)
Præpoſitos ſtatuat celeres, Mareotica & arva
Colluſtrent, regione omni peragrata, legentes
Horrea, per quinas repleant cerealia partes
Meſſis quæ obveniet, falce abſcindenda recurva.
Sub ditione manens quinta hæc ſic condita Regis
Pars frugum, effœtos ſeptem ſervetur in annos;
Ne eſurie attenuata gravi, quæ haud eminus inſtat,
Terra ſimul, pecudes pereant, armenta, virique.

Dixe-

Dixerat: & dictis totam reboante per aulam
Effuſo in voces plauſu, veneranda ſenatus
Omnis turba favet Vatis: placuitque miniſtris
Conſilium Regique datum, gratantur & omnes,
Ad quos; ſed ſolio prorſus pavefactus ab alto
Rex fatur: ſimilem nunquam ſic noſtra tulére
Regna virum, tanto plenus qui numine divûm
Sic lucis latices ſacros, quò abſtruſa recludat,
Extrahat epotos, altis quos fontibus haurit.
¿Quid vobis? Aſt quid tibi, qui ſic Entheus alto
Pneumate magna capis de arcanis eruta divis?
Noſtra refert Regum, fecit quos culta per arteis
E cerebro quæ eſt nata Jovis dea munere doctos
Præficere in populis, cautos præponere regnis:
Protinus in cunctis felicia regna beantur,
Ipſe ſophus lorum, ſapiens cum ducit habenas:
Qui fierique poteſt ſimilem, ſi ſæpe rogatam
Per ſtygiam adjurem flexus mea numina ad Iſim,
Ad clavum ut regni inveniant mea vota miniſtrum?
Ergo ſuper Phariam rectorem noſcito gentem
Ex hoc te inſtitui: totum ſub lege Canopum
Præceptis retine, populis tu providus unus
Jura dato: te unus ſceptro, regnique potente
præcedam ſolio tantum: te à Rege ſecundum
Pellèo agnoſcet toto gens horrida vulgo.
Dixit: & actutum digitum qui ornabat eburnum
Annellum baccæ nitido fulgore coruſcum,

Mu-

Muneris ut ſtêmma inſuetum, officijque recentis
Ad digitum transfert, traveati inſigne miniſtri.
Ipſi talarem byſſo candente retextum
Sydonio atque oſtro circum Rex duxit amictum:
Formoſum torques miro cælata labore,
Diſtincta & gemmis circumdabat aurea collum.
Ut Pharos alta novum poplite incurvata reflexo
Præpoſitum noſcens, merito dignetur honore,
Regifica evectum pompa, vectumque per urbis
Compita, voce tubæ longe, lituoque ſonante
Auratum Pharao dederat conſcendere currum.
En ego ſum Pharao teſtem mea nomina firmo:
Imperio abſque tuo ſeptem qua flumina Nili
Currunt, pes nulluſve, manuſve movebitur ulla.
Muneris auguſta ut pariter ſit gloria tanti,
Manſurum æterna uſque novum per ſæcula nomen
Vertere Rex ſtatuit, Pharioque idiomate, Mundi
(Sic ſæclis implenda novis ſignata per illud)
Salvatorem illum ſignat toto orbe tenendum.
Tunc decima ſpatium vir jam trieteride lucis
Quo primæ exortum vidit, complebat adultus:
Jamque viro tædas, genialia ſancta, jugales
Caſtus Hymen ducit, vincto cui tempora ſertis
Pronubus it Pharao Rex ipſe, hic jungere dextram
Et dedit experti thalami, cui pronuba Juno
Aſtitit, ut magno pendat connubia Vatis.
Haud mora: poſthabito grata cum conjuge caſti

Jure

Jurè tori ad tempus, privati ac limini tecti
Poſtpoſito, regni munus generale recentem,
Nec ſegnem, jactat pariter nova cura miniſtrum.
Ergo domo abſiſtit: primum hoc à munere magnum
Pondus: ſegnitiem exoſum dignoſcere vultum
Rectorem populi: fas hoc: hæc jura repoſcunt.
Pendula tunc cœli lanx jam pandebat utrimque
Pondera nocturnis umbris æquata dierum,
A tenebriſque pari pondo diſcrimina lucis
Æquidium removens, ſolem ſtatione tenebat.
Autumno ergo libra dies tunc tempora meſſis
Signabat properans: primus jam fructibus unus
De ſeptem ſomno præſcitis, fertilis arva
Oblectans annus Cererem gravidarat ariſtis.
Inſtabant meſſis, ſegetum tunc tempora: Vates
Inde urbe excedens ſubito, nec multa moratus
Circuit aſſiduus terram, ſimul arva peragrans,
Prædia, ruraleſque domos regionis, & urbes
Iſiacas complens, villas luſtrabat & agros.
Præmia culturæ tellus jam grata colonis
Læta dabat, dives fructu, tum frugibus uber:
Luxuriat meſſe & campus, tum fertile & arvum
Spicis exundat plenis: tanta area granis,
Quanta & arena ſalo gracilis per littora vaſtum
Mole tenet pontum, ponti fluctuſque tumentes
Pondere multa premit: grana enumerantur arenis.
Horrea lata parat cunctas numeroſa per urbes
Pro-

Providus, ut ſegetes capiant, cumulosq̄ recondant.
Decretam ſegetum regalia in horrea quinam
Condebat Regi partem: congeſta & in unum
Singula per ſortes, quantas dabat area, partes
Immenſum augebant cumulum: creſcebat acervi
Congeries nimium è minimis tum copia fiſco.
Ut genus extat avis minimum, ſed ſingula earum
Provida, quæ horrebunt borealia tempora brumæ
Pleiones noſcens pandent quos ſydera vultus,
Æſtate alta volat, campos hortosque ſuſurru
Huc illuc complet virides, atque agmine florum
In rutila inſiliens ſtimulo roſaria denſo,
Cecropios linguæ ſugit tunc cuſpide ſuccos.
Aſpera crura linit liquidis humoribus Hyblæ:
Parvam ſic molem condens operoſa ſub alis,
Multotiesque ſecans tritos ſuper æthera calles,
Ad cava tecta volat, ſecreta cubilia complet.
Hinc iterata diu tenuis; ſed provida, parvis
Sarcinulis cura, officioſaque munere turba
Agminis exilis, flaventis pondera ceræ
Immenſa efficiunt: tanta atque inſurgere moles
Prævaluit, quantam flamma ignis devorat orbem
Poſtmodo per vaſtum: quantam exinde ardor ad aras
Thuricremo libat cultu, atque altaria fumant:
Quantam funerei tumuli maſſam aggere vaſto
Abſumunt monumenta pyris, dant funera buſtis:
Inſuper atque quotam quiſque ingenioſior arte
Ag-

Agnovit varijs opifex aptare figuris.
Mons patet in trivio celſus, ſupereminet alto
Vertice Mercurij effigies, cui parva lapillis
Crebraque dona dicat repetens longinqua viator.
Magna hinc de minimis moles conſurgere ſaxis
Cernitur, in nimium pietas quæ immittit acervum.
Mons pietate ſacer maſſam coaleſcit in altam,
Confluit ex acinis moles cumulata minutis.
Horrea lata parat, ſegetum compingit acervum,
Et pietatis agit pietas induſtria montem.
Fertilis interea vegetabat copia campos,
Arvaque Eleuſinæ ſeptem per tempora pingui
Implebat cumulo: duplici tum provida partu
Alma dedit Lucina viro, pia præmia Vati,
Uxorem fieri gemina de prole parentem.
Uni tum genitor gratus ſua nomina cuique
Addidit, in ſuperos memorem teſtantia mentem.
Inde bifrons numen faciem tranſvertit, & anceps
Qui primum fauſto, lætoque Patulcius ibat
Vultu; jam ſæva oſtendens modo Cluſius ora,
Difficiles torvam frontem vertevat ad annos.
Eſuries, prænota prius, quas copia multis
Divitijs fœtas dederat, nunc ſordida terras
Vexat jam ſteriles, durisque laboribus urget.
Et tellus exuſta ſiti conclamat apertis
Faucibus, ora rigent: arentia guttura ſolvit.
Arida ſic terras ſteriles tunc ora videres,

Et patulos aperire ſinus, rimasque per altas
Viſcera ſicca trahi: rurſus cum Nilus ab oris
Præcipites vaſto torquens erraticus alveo,
Undarum curſus cogens & abire profundos,
Non venit accreſcens, latices non fundit opimus:
Larga fluenta negat, decurrit ſegnis in undis:
Sed nec cœnocis incraſſat jugera limis.
Naturam extimuit tellus, quam Divus ab orſu
Conditor indiderat primam, dum apparuit intus
Arida terra, ſolo vacua, & perſtabat inanis.
Vultus erat toto miſerando hinc horridus orbe,
Hanc pariter faciem campus, ſic prata tenebant
Ora, premente ſiti, flagrans & Sirius arvis
Dente fero inde Canis ſegetum mordebat ariſtas.
Hac ſterilis facie ſtatio camposque, virosque
Eſuries violenta premunt: tum fervor edendi
Ima per exta furens ſpirantia viſcera mordet.
Hàc currebat egens juvenis, diſcurrit at illàc
Impaſtusque ſenex: Eriſictonis ore fremente
Pene ſuas (ſupereſt nil jam) convellere carnes
Dira fames adigit: rurſus ſic excipit alvo
Quem genuit triſti, mandens ſua viſcera mater.
Marcida pauper opem vetula, & ſic ſæpe puella
Ingenua expoſcunt lingua: fruſtra ora fatigant.
Vix hominum, ſed ſpectra putes jam corpora formam
Nudaſſe humanam ſpectes, fruſtraque per umbram
Corpora adeſſe aliquot media inter lumina credes.

Ex-

Extenuatæ horrent facies, & tabida tantum
Contegit ora cutis rigidis pendentia malis.
Haud facile invenies oculos, ne quærito pulchros:
In facie ipſa cavis clauduntur lumina foſſis.
Inteſtina, nimis gracilis, vix apta recondit
Pellis, & exta cutis tenuis tranſpecta relinquit:
Sed lingua ad ſonitum remanet vix congrua, rauco
Indicia ore dabat, tantumque exilia, vocis.
Murmure ſic populi, ſtrepitumque augente tumultu,
Creſcebant ſenſim voces: horrendus in aſtra
It velox rumor plebis, luctusque gementum
Invaluere ſono, ſubitus fit ſtridor ad aures:
Tecta repercuſſæ ſonuerunt concava pulſu
Vocis: de internis reſponſa dedere ſub antris,
Abrupti colles, exeſæ & viſcera rupis.
Irruit in fremitus urbs, ſic miſerabile vulgus
Se dabat in planctus: aulæ tremuere feneſtræ:
Arrectas Regis clamor ſic compulit aures.
Cunctis vox una, unum os, una eſt cauſa querellæ:
Plebs alimenta petit: à te hoc, Rex flagitat unum:
Unius eſt Regis populo hos abſtergere luctus:
Principis hoc munus lacrymis hos claudere rivos.
Eſt unus Joſeph tantæ cui credita cladis
Arcendæ cura eſt, ſolvat qui crimina duræ
Ille famis, tantumque illi hæc ſervata poteſtas.
Quàm viget alta domus, ſplendens quã regia magnis
Divitijs opulenta valet, ſuper omnia Vatem

Conſtitui dominum: Joſeph cognoſcite cuncti,
Hunc veluti Regis merito cognomine patrem.
Arbiter imperij pollens ſuccurrere regno,
Unusque hic inopi Phario qui ſufficit orbi.
Ite ergo ad Joſeph: Joſeph Salvator, & omnes
Quæ jubeat facite: omnibus hic eſt omnia ſolus.
Sacra, virumque damus magnum: majora canentes
Majorem gerimus, ſobolis quem nomine divæ
Concelebrant noſtris Patrem pia tempora terris.
Hunc ite ad Joſeph, monte intonat ardua celſo,
Seu foret illa viro major, quà dicta Virago:
¿Noſcere & hanc cupias? ſacro de nomine Tirſam
Tirſo de veteri capias. Seu Salphaad olim
Fœminea è ſobole quintam numerare Sororem
Quis velit è quinis, potius tunc dicito Terſam.
Seu quia tergemino vultu Clymeneia Virgo
Heliadum ipſa ſoror trina uno corpore forma
Alma patet ſuperis tum Mater, Virgoque, Doctrix,
Deque tribus notam titulis tu diſce Ter-ipſam.
Hoc experta pium nomen, juſtumque, virumque
Pro votis capiens præſura tegmen in omni
Tutorem pia Virgo colit fidumque, piumque.
Conceſſum eſt aliquo miſeros relevare beatis
Omnibus: aſt uni (expertæ mihi creditæ gentes)
Ferre datum eſt & opem, cunctis que levamina noxis.
Ergo hunc præ cunctis, cunctis pro litibus unum
Cauſidicum è ſuperis, miſeri, diſquirite Joſeph.

Hæc

Hæc inter, populos, quæ ignara eſt parcere nulli
Irrequieta ſames avidos rediviva per artus
Exagitat Pharios iterum: rurſumque protervos
Ingeminat venter queſtus: Tunc horrea Joſeph
Graniferumque penus pandit, mercedeque juſta
Sufficit annona populum: ſic providus omnes
Immodicos valuit plevis mulcere dolores.
Hic ille unus ineſt Joſeph, hic unus ad omnes
Externos expoſtus adeſt: Fortuna vir hic quem
Mirandum objecti populis: ſic unus: at inde
Officij pietate duplex, ſibi poſterus ipſe
Ad genere affines, fratres, ad ſanguine vinctos,
Calliope inſpirante ſonos, mirabitur alter.

JOSEPHINA
SACRO = POETICA.
PARS SECUNDA,
IN QUA JOSEPH ERGA FRATRES, ET PROPINQUOS ITERATO COMMENDATUR HEROS.

PROVINCIAS, POPULOSQUE EXTRA Ægyptum populante fame, Jacob decem impellit filios, qui in Ægyptum tritici emendi gratia ire pergunt, Benjamino domi retento. Adorato ergo Joſeph, & à fratribus minime cognito, tanquam ad alienos (licet cognitos) durius loquitur memor ſomniorum. Velut exploratores illos per ſimulationem inſimulat.

ACta hucuſque viri dedimus, quem ſæva periclis
Expoſtum fortuna tulit, ductumque per ima,
Per varias tractumque vias, loca & omnia circum
Fors alterna tulit, tandemque per ardua vecto

Læta

Læta ſtitit meritam decoris per nubila ſummam.
Acta damus ſcena biviri, aſt inſignia, claris
Qui haud ſemel heroam referens, iterare tròphæis
Iſacidam valuit frontem, geminare corollis.
Quam bene vir meritus, donorum munere dives,
Erga alienigenas facilis, licet exterus ipſis
Extiterit quondam, tenui tunc murmure carmen
Vox religata dedit: calamus quem tuncque coegit,
Nunc rurſus revocare modis, iterare virumque
Molitur, Chanaan, patrijs qui expulſus ab arvis
Iſiacas ſuperum ductu deſcendit in oras.
Sic poſuere viro Divûm decreta: ſupernum
Hæc numen ſtatuit ſerie ſic ordine fixo
Temporis, ut fratres, proprios ad ſe inde penates
Tranſveat è laribus patrijs, vetulumque parentem,
Ceu humeris vectum, tollens, relevare ſenectam,
Et generis lenire ſui pius ipſe laborem
Graſſantem valeat, cædemque fugare valentem.
Ignea perſtabat peſtis, quæ uredine terras
Septenni urgebat ſtrage, exitioque ſevera
Vaſtabat populos. Nulli ſperare ſalutem
Horrida concedit (tanta eſt injuria) clades.
Hæc inimica fames: bifores ad limina valvas
Mors agitat pulſu, dirisque famelica torquet
Funiculis jugulum, adſtringens à gutture fauces.
Nec tantum ipſa luis tetra confinia noxa
Telluris Phariæ triſti ac contage laborant,

Iſia-

Iſiacos ultra fines, tecta ultra Canopi
Exitium tranſit: ſerpens exotica verrit
Arva ruina, viros agitat, populatur & agros,
Disjunctos ſtrages populos, furor omnia complet,
Nec Chananæis cædes it temeraria campis
Lenior ad veniam, forſan quæ immitior ipſis.
Incolumis nulla it meſſis, non ſalva ruinis
Gramina, campus, ager: cuncta hæc obnoxia duro
Infandi exitij celeri & cedentia telo.
Ceu cum ſpiſato gravidatam grandine nubem
Terrigenæ aſpiciunt, lævoque à cardine cœli
Pregnans exorſu apparet, quæ & plurima tædis
Fulmineis luſtrat, tetra quas geſtat in alvo,
Quaquaverſum atras ſpargens, atque undiq̃ flammas
Ignivomo in terras volitat circumflua nimbo.
Turbine concuſſa it, rurſus Boreæque furentis
Impulſu tranſvecta gravi eſt diſſecta per imum
Grandinis horriſona illuvie: tunc ſaxea moles
Jugera & arva premit lapidũ imbre, atq̃ obruit agros.
Grandinis haud fœta, id tantumq̃ hæc bellua monſtris,
Nec truculenta uno complet fera viſcera partu:
Concipit hinc: fremitu horrendo quos parturit ignes
Intorquet: turres, tonitru quas terruit, altas,
Fana educta petit: parcunt non fulmina ſacris
Templorum tectis: horreſcunt ſydera flammis:
Alta, & lance pari regum, magalia tecta
Ponderat, atque bifrons, motu dum vertitur anceps

Efficit exiguis æqua & palatia caſis.
Non ſecus arcta famis tempeſtas parcere nulli
Conſcia, tecta pij ſubiens ſacrata parentis,
Auſa ſenis temerare domum, penetralia ſancti
Intima pertentare foci, dente horrida duro
Ilia tractabat juvenum: facilisque puellus
Expoſcens avidus cerealia munera frangi,
Viſcera patris agit, triſti dum viſcera luctu
Eſuries cruciat propria, exta & lubrica pungit.
Quænam vos, juvenes, demens ſocordia ſegni
Pigritia aſtringit: mentem quid inertia tantis
Cunctatur morulis? ¿Celeri ne & cernitis ultro
Quàm pede mors noſtris impendens concita tectis,
¿Oſtia fracta quatit, tentans jam dira feneſtras?
Quare negligitis? Jam jam ſuccurrere tantis
Jura malis, rabidæ cogunt obſiſtere noxæ.
Dura fames cædem: miſeri lenimina ventri
Ferte citi, ò pueri patris: mors horrida mors eſt
Sæva fames: vitam dedimus quam munere pridem,
Hanc eſca ſervate diu, ſervate ſenectam:
Officioque pio impaſto modo pendite patri.
En Peluſiacis novi granaria terris
Vi ſegetum ex undare nimis, quin divite cornu
Copia ſic opulenta fluat, venalibus ultro ut
Seminibus pateat: populi, gens extera grani
Annonam pretio inde parent, ne cedere letho
¿Cogantur miſeri: quid nos ſperare queamus?
Ergo

Ergo haud enerves, pueri, ne ſidite pigri.
Suppetit en vovis aurum, nimis arcula multo
Ærata argento exundans eſt; pervia nummis:
Nil opus eſt opibus, tantum ne alimonia deſit
Ægyptum vobis iter hinc, cunctatio nulla;
Ite viam celeres, Memphim modo tendite cuncti:
Uuus Niliacis hic Benjaminus ab oris
Qui abſens ſtet, maneatque domi: mens conſcia facti
Peſſimi, adhucque manet pueri, quem perfida dente,
Raptum hucuſque tenet, ſævo fera peſſima morſu.
Vivit adhuc memori mente ille & parvulus alter:
Ille meus vivit Joſeph mea viſcera natus.
Sit ſaltem ſoſpes puer, illo ſoſpite ſaltem,
Ni Joſeph videam, Joſephi in imagine formam,
Germanum aſpiciam, vultus pariterque videbo
Ite viam celeres, pueri, bonus angelus aſtet,
Qui comes ille viæ vobis paret inde virum, qui
Sufficiat victum, ſalvoſque in tecta remittat.
Protinus ad nutum faciles, ad juſſa parentis
Longum iter accinti juvenili robore carpunt,
Arripiuntque vias. Dubio non calle viator
Ire pavet: lato longoque à tramite reſtem,
Quæ ad frumenta ſibi omni de regione paranda
Turba ruens Pharias curſu properabat ad urbes,
Texebat magnam: præbet via trita ducatum.
Jamque patent oculis alto quæ barbara vallo
Pyramidum tollit cœlo miracula Memphis.

Inde decem pariter Cerealia tecta ſubire
Incipiunt fratres: poſitas ex ordine turbas
Undique, quæ intrantes turmatim lata tenebant
Strata domus, cernunt; dextrum, cornuque ſiniſtrũ
Veſtibuli occludunt: loculi pars concita nummos
Ad menſam pretio pendit, pars impigra ſaccos
Dans operam implendo, ſatagit: ſonat undiq̃ rumor.
Vix erat ſpatium intrandi, nam obſiſtere contra
Qui egreditur tentat, crepitantque à cardine valvæ.
Ampla domus fervet, totoque ex orbe ruentum
Emptorum exundat turmis, de murmure ſurdo
Eminus auditur ſonitus, ceu tempore veris
Denuo cum exoritur ſtricto quod clauditur alveo
Agmen apum inſolitum, inſuetoq̃ examine turbam
Vix nimiam capiente domo, cava tecta reſiſtunt:
Intus adacta ſonant orto nova caſtra ſuſurro:
Denique in aſtrictam inſiliunt examina portam,
Erumpuntque foras, ſimul hoſpita tecta relinquunt.
Venali ecce operi generali ex munere judex
Invigilans, alta & repetens ſubſellia princeps
Perſtabat Joſeph toti ſpectabilis orbi.
Illius ad nutum cunctis venum ibat ad haſtam
Frumentum populis: pretioque alimenta cuique
Firmabat fido pendens examine libra.
Inde decem nummis fratres ex ordine promptis
Accedunt humiles, imo qui in limine curvo
Poplite adorantes ſublimia culmina ſedis,

Ex-

Extremæ tremebunda viri tunc tegminis oræ
Oſcula defigunt, premitur tunc fimbria labris.
Purpura adoratur, veſtis non ſanguine tincta.
Ah! quam diſſimiles, quondam quam bellua finxit
Peſſima diſciſſam, hædinoque cruore madentem,
Quæ modo tracta manu, labioque appoſta trementi
Prociduo eſt venerata genu, votisque precanda.
Faſciculum ſtantem religato mergite ruri,
Et renuere olim faſces decorare cadentes,
Inſciti fratres fratris jam pectore curvo
Irrita vel facto firmant non numina Vatis.
Tunc notos torvis oculis, vultuque minante
Conſpicit inde viros fratres non cognitus ipſe,
Diſſimulatque ſuos. Triſti ſub fronte voluptas
Celatur cordis: totis ferveſcit ad intus
Viſceribus ſanguis, calido furit ardor ab igne:
Averſans nihilominus, aſpectuque ſevero
Aſpera verba dabat verbis, & duriter illos,
Ac ſi aliena foret ſoboles, gens extera fratri,
Alloquitur rigidus, dictis inceſſit acerbis.
Quidnam vos huc? Quinam vos? Quotve? Unde venitis?
Natio Hebræa ſumus Chanaan gens incola terræ:
Quæ viget ægra fames cunctas tranſmiſſa per ædes,
Quæ pede trito omnes populos contage per urget,
Lethifero in noſtras pariter morbo horrida ſedes
Ingreſſa, immiti cogit medicamina labi,
Quæ cuncti ad Pharias repetunt perquirere terras.

Nos

Nos licet ejuſdem cunctos non alvus in auras
Pertraxit matris, lactati haud ubere ab uno,
Bis ſeni fratres, uni duodena parenti
Turba ſumus, ſed turba pium quæ inſigne quietæ
Præferimus pacis, violentaque bella peroſi
Ægypto dedimusque manus tantummodo pane
Dira famis ſaturi ut bella, horrida bella feramus.
Ad patrem frater minimus relevare ſenectam
Qui valeat, manſit, veluti ſolamen egentis,
Non ſuper eſt alius fratrumque à parte ſuperſtes.
Non facta, ò homines, veſtris conformia dictis,
Nec penitus dicta apparent æqualia vero:
Immunita proculdubio vos mænia noſtræ
Exploratum urbis, Phariæque infirmia terræ
Veniſtis vigiles: regni, læſæ utpote ſontes
Majeſtatis, ab hincque reos vos noſcite cuncti.
Qui ut minor it poſt vos natu, præitque minorem,
Hic non comparet, fratres non cernitur inter:
Iſte ſuper non eſt per vos: ſi funere fatis
Conceſſit, ſaltem minimus compareat alter,
Utque probem functum, vivum mihi ducite fratrem:
De vobis aliter, Pharaonis tempora vitæ,
Perque caput teſtor merito fore protinus actum.
Dixit: & aſcitis alta de ſede miniſtris,
Extrahite hinc iſtos: mea vox hæc: juſſa videte
Ocyus implenda, atque omnes cuſtodia ſervet,
Donec cunctorum notis, me judice, cauſis,

Con-

Condignas meritis ſtatuam de crimine pœnas.
Protinus ad nutum manibus poſt terga revinctis
In tetrum cuncti mittuntur fornicis antrum.
Haud tenebroſa minus, picea & caligine mœrens
Illa vetus quondam miſero cuſtodia fratri
Perſtabat ciſterna, pium puerumque tenebat:
Talia præterito, nullo diſcrimine, fratrum
Reſpondent ſceleri: merita hæc purgamina fontum.
A quibus ille lacus tenebras expertus, eoſdem
Carceris obſcuri tetris ſic mulctet ab umbris.
Sic adverſus eos, juſto, qui occidere fratrem
Tentarunt, regni attulit & ſapientia ſceptrum.
Mendaces oſtendit eos qui turpiter illum
Sunt maculis temerare auſi, ſunt turpia adorſi.
Tertia lux aberat trinam poſt carceris umbram:
Condigno ereptos laqueo, vinclisque ſolutos
Comparere jubens, placidis clementior ultro
Affatur verbis: veſtri miſereminor, atque
Quæ injunxi facite, ut vobis ſic vivere fas ſit:
Ecce Deum timeo, de me nil jure timendum:
Veridica & ſi verba datis, mens fraude pelaſga
Pacis amica vacat, nulla eſt ſi aſtutia dictis,
Ite datis vadibus, vinclis conſtrictus & obſes
Ex vobis unus maneat: frumenta ſimulque,
Quæ pretio penſata dedi æquæ pondere lancis
Vobiſcum aſportate patri: tantummodo frater
Ad reditum minimus veniat, veſtramque probabo
Experiarq̃ fidem: dicunt quæ juſſa faceſſunt. *Tol-*

TOLLENS JOSEPH SIMEONEM, JUSſit coram fratribus ligari: quo retento in vinculis, reliqui cum cibarijs revertuntur, repoſitis clam pecunijs in unius cujuſque ſaccis, narrantes patri omnia, quæ cum præpoſito Ægypti acciderunt.

IMpius (infandum!) livor, concordia dira
In juſtum fœdus puerum firmarat, & ipſum
Inſontem addixit concors ſententia cædi.
In fratrem addictum nullo diſcrimine fratrum
Impia turba ruit: cuncti ædificare ruinam
Conſpirant fratri: exemplum eſt imitabile nulli.
Inter tot truces animum provectior ævo
Unus pro puero immotum, frontemque tenacem
Firmarat miſero, columen fixumque manebat:
Pro puero ecce Ruben verbis certabat apertis.
Anterior numero ibat, poſteriorque Rubeno
Simon, hic reliquos natu præceſſerat omnes.
Conjuratorum caput hic, ſedare rebelles
In puerum motus, ortos placare tumultus
Debuerat major; ſævus ſed pectore, turbæ
Fraternæ ille celer primus properabat in iras.
Hic ipſe & vincire pium, puteumque profundum
Ire jubet puerum, in caſum fera corda precantem.

Talio pœna datur: ſors in contraria verſa eſt.
Vincla, jubente viro fratre, at ſine nomine fratris
E cunctis ferrata pati, ſepoſitus ab ipſis
Fratribus urgetur, remanetque dato obſide Simon.
Arctis dum laqueis fratrem dum compede aheno
Stringit dura manus, religat dum membra ſatelles,
Queſtubus alternis reliquorum murmure fratrum
Mœſta querela ſonat, quæ triſtia pectora pungit.
En patimur juſte Juſtum qui crimine nequam
In puerum quondam ſontes peccavimus omnes.
In fratrem inclemens, & inexorabile pectus,
Dum miſer ille preces lacrymis fundebat obortis,
Perſtabat noſtrum pluſquam Marpeſia cautes,
Ultra adamanteum, hircino non ſanguine flexum:
Idcirco hæc patimur: crudeli è corde dolores
Diſcruciant mentem: noſtram nunc triſtibus implent
Ærumnis animam: nos hæc, nos talia juſte.
Unus ad iſta Ruben veritus de clade puelli
Concilij ipſe expers renuens ſic acta maligni,
Affatur ſocios: en vos ego recta monebam
Ne temere in fratrem quicquam tentate doloſi:
Innocuas ſervate manus: carum ecce puellum
Illæſum ſervare patri eſt ſervare parentem.
Nulla fides dictis, monitis tunc credere nulli
Complacuit veſtrum: cuncti nos dedere pœnas
Cogimur inviti: ſanguis pro crimine noſtris
De manibus petitur: patimur nos talia digne.

Talibus interſè verbis commiſſa fatentes
Priſtina, nunc mentem triſti ſermone trahebant,
Verba latere virum reputant: idiomatis ipſe
Se ignarum ſimulat, cautus qui interpretis uſu
Alloquitur fratres, ſe celans: ſed tamen inde
Extemplo abſcedens oculis dum laxat habenas,
Et ſeorſum prudens lacrymas extergit obortas.
Lingua loquax verbis valuit ſimulata latenter
Se ſervare diu; aſt oculis ſimulatio nulla.
Ipſi animæ vultum, mentis formare figuram,
Si qua figura illi, norunt: tunc fuſa per illos,
Ceu patulas animæ eſt facies patefacta, feneſtras
Hi nitidum cordis ſpeculum pro munere, mentis
Quæ latet intus, agunt notas in imagine formas.
Frater erat: fratres animam ne agnoſcere vultu
Inde piam ſobolis genitoris ſanguine junctæ
Prævaleant ſubiti, celantur lumina planctu:
Ne ve cito ad caros properans mens transfuga curſu,
Perque oculos anima in præceps agitata tenellos
Diſceſſum arripiat, conduntur lumina luctu.
Hæc inter teneros oculos dimiſerat humor:
Egrediensque foras ſaccos, dat juſſa miniſtris
Impleri farre ad cumulum, frumenta parari
Sarcinulis cuique ad pondus, quam quiſque tuliſſet,
Sic ut clam maneat, latitetque pecunia ſaccis.
Inde ſuperponi ad victum frumenta cuique,
Auxiliumque viæ juſſit: ſacciſque ligatis,

Ex-

Extemplo ad patrios reditus dat jura penates
Adjuratque omnes, pariter turbamque novenam
Dimittit ſalvam ad patrem, decimo inde reſecto.
Ad patriam pretio nullo reparabile tempus
Increpitat morulas: rapidis hinc paſſibus urgent
Præcipitantque vias: licitum tardeſcere nulli.
Inſtantes jumenta præmunt, aſinosque gravatos
Feſtinus quiſque aptatis tunc calcibus angit.
Unuſquiſque ſuum pigrum vexabat aſſellum,
Tardipedes cuncti mulos maſtige perurgent.
Inter tendendum elapſos lenire labores,
Utque viæ rapidos valeant ſic fallere curſus,
Alloquio inter ſe tranſacta pericula, caſus
Commemorant varios, varia eſt ſententia cuique:
Hic comem celebrare virum conamine toto
Contendit, plaudit mitem, facilemque precanti:
Improbat ille pium, tetricumque inculcat, & alter
Illepidum verbis reputat, cui ruſtica mens ſit.
Hic probat; ille negat, dirimit ſententia partes:
Pars ſic, pars aliter: ſenſu non pergitur uno.
Multiplici inter ſe alloquio, dum ſemita recto
Tramite conteritur, celeres dum plurima verſant,
Longum iter incurſant, & diverſoria tarda.
Copia ut hoſpitij facta eſt, non limina tangunt,
Non bene tecta domus ſubeunt, ſtramenta repoſcunt.
Exonerare aſinos cura eſt, impoſta repandis
Quæ ſubiere diu relevare ac pondera dorſis.

Jumentis fænum hic, ſtipulas, dum pabula quærit,
Ille celer rigidas aſinis dum carpit ariſtas,
Dum tandem quiſque & proprium paſcebat aſellum,
Jumento ex illis unus cum præparat eſcas,
Ad ſaccum accurrit, ſolvit religamina ſacco:
Ora aperit: mirum! totidem, ſpecieque, repoſtos,
Quot tulerat reperit nummos: dat murmur ad aures
Cunctorum, excitat ad ſaccum vox territa fratres.
En mihi, quæ pretio dederam, clam condita ſacci
In cumulo apparent loculi ſepoſta receſſu:
Tota moneta ſimul, numerata numiſmata in unum:
Accurrunt omnes, omnem res mira cohortem
Attraxit fratrum, mentes ecce arduus angit
Cunctorum terror: dubium pavor inde trahebat
Judicium, quidnam illud erat: vox mutua cunctis;
Eccur, ò pueri, nobis Deus iſta reponit?
Nil pavor unus agat: fratris non territat unus
Eventum mentem, poſthac iteratus ad omnes
Inque vicem tranſibit: idem atque videbitis ultra
Auſpicium: infauſtum, an felix? Hæc tempora reddent.
Caſus at iſte anceps vobis remeabit, adhucque
Per capita ad cunctos ibit, totque horrida monſtris
Quot capita advenient miris: properate: viarum
Sumite ab hinc rurſus ſpatium, nullus ſtupor eſto.
Vos jumenta agitate citi, renovare pavorem
Enodata iterum faciet mox ſarcina veſtrum.
Jam natale ſolum, Chanaan, licet eminus, arva
Laſſa

Laſſa cohors, fratres placida dulcedine cuncti
Proſpiciunt, hilari verſant calcaria motu.
Jamque ſenis curæ morulas numerantis inertes
Præter ad acta modum lacerabant viſcera patris.
Ne quicquam ex varijs, quibus horrida fata periclis
Sæpe viros agitant, obeunt quæ ſæpe, viarum
Tramite qui aſſiduo miſeri ſalebroſa frequentant,
Accidat & pueris, ſiſtatque in tecta regreſſum:
Anve, quod eſt pejus, (patitur quod ſæpe viator)
Mercurij incurſu ſoboles, Vulcania proles,
Vivere quæ rapto ſolita eſt, invadere ſeptam
Tentarit fratrum turmam, nulliſque catervam
Armis inſtructam, clypei ve ſub ære latentem
Ex inſperato denſis oppreſſerit armis.
An pueri inter ſe rixantes, vulnere, quis ſcit
Corruerint pariter, refluoque in ſanguine cæſi.
An cunctos fœdæ cujuſquam ob turpia noxæ
Aut quemquam illorum Judex de munere quæſtor
Carcere præcluſos, clauſum teneat ve, quouſque
Adſtrictos redimat fidus de crimine teſtis.
Si tecta arcta viros valeant non ſumere cunctos
Hoſpitio, externis pateat vix parva domuſque:
Quis ſciat an ſæva quiſquam rixa advena fratrum
Hoſpitij cauſa exorto fortaſſe tumultu
¿Tentarit dubio turmam oppugnare duello?
Hæc meditantis agunt animum, pia corda parentis,
Plurima & his paria huc nunc dum ſe vertit & illuc,

Dum

Dum reputatque moras, triſti mœrore premebant.
En fragor inde ſonat, ſonitu quatit ungula limen
Tunc jumentorum, dorſum præ pondere preſſum
Sarcinulis relevari optat, ſtabulumque rudebant.
Tota peregrinos ſubito domus alta recentes
Confluit excipere, hoſpitio patriaque potitos.
Ad patrem unanimes celereſque ex ordine fratres
Intrant, atque datis ſimul acceptiſque ſalutis
Hinc illinc precibus, caſus ſeriemque malorum
Enarrare viæ incipiunt, actoſque labores.
Salvi omnes veniunt; ſedenim non venimus omnes:
Ivimus ecce pares; numero ſed cernere non eſt
Qui nonus frater, trinus ter in ordine Simon.
Auſterus terræ dominus, faſtu ipſe ſuperbus
Triſte ſupercilium attollens vultumque minacem
Illico ut aſpexit, veluti qui noſceret omnes
Nos ſceleris ſontes cujuſquam, aut crimine fœdos
Pœne reos reputat, pariterque infirmia terræ
Nos exploratum iviſſe, inſidiaſque parantes
Inſimulat, veluti tentantes fraudibus auſum.
Turba ſumus (vocem pro cunctis dedidit unus)
Nos duodena patri: non eſt ſuper unus, at alter
Parvulus, atque adeo vetuli relevare parentis
Mœrorem ut valeat, tecti ſub culmine manſit.
Paciferum (è contra) cuncti pro munere olivæ
Nitimur ad Pharias ramum prætendere terras.
Hinc noſtra explorata fides, non falſa locutos

Ut

Ut maneat, pateatque ſimul, vir de omnibus unum
Sponſorem religat vinclis ſub carceris umbris,
Quoad frater Pharias inviſat parvulus oras.
Verba dolore ſenis complent hæc triſtia pectus,
Et ſiluiſſe magis decuit, quam talia fando
Transfixiſſe pium cor ſic, ſic viſcera patris.
Hæc poſt dicta ſeni, ſunt poſtquam multa locuti,
Ad ſaccos properi accurrunt, & ſingula quiſque
Tunc parat ora manu, tortisque abſolvere nodis.
Dum comportatum frumentum effundere, farris
Et cumulos pariter nituntur ducere in unum,
Res miranda nimis! factum mirabile dictu,
Sarcinula inque via fratris res viſa prioris.
In propria nummos tulerat quos quiſque crumena
Sarcinæ ad ora tenent, cernunt ſubſtare ligatos.
Vix à conſilio cujuſquam credere factum,
Sed neque fortuitos ex inde admittere caſus
Mens bene ducta valet: tota hinc devolvitur at mens
Cunctorum ad dubium, dictu & mirabile factum.
Hæc fratres dum mente movent, dum corde volutan
Vertere vix animum poſſunt, non pectora patris,
Quo Mareotidis exuſtam gentem ve Canopi
Benjamin adeat, Phariosque inviſere campos.
Me miſerum exclamans (imis dolor oſſibus hæret)
Tunc pater in gnatos (renovant nova verba dolorem)
Orbatum, dixit, vacuum ſine prole parentem
Tum memet ſenij dulci lenimine & orbum
Feciſ-

Feciſtis vetulum, ſterilem ſine ſemine patrem.
Contra naturam en genitor præpoſterus aſto,
Ordineque inverſo ſoboli ſto poſthumus ipſe.
Extinctam Joſeph retulit vox peſſima primum,
Luminis ille carens natus mea lumina quondam:
Mortuus ecce meo tantum modo vivit amore:
Compedibus Simon vinclis conſtrictus ahenis
Pervenit ad patrem veſtra nunc voce ligatus.
Extremam ſobolem minimum tolletis & iſtum?
Quid plura inde manent? Summo de pectore ſævi
Extremam auferte extremo nunc vulnere vitam.
Dixerat; at dictis animo generoſior unus
Relligione Ruben pollens & amore parentis,
Ille Ruben fidus, nulloque in fraude rebelli
In puerum quondam patuit qui crimine turpis,
Tu mihi crede, pater, dixit, mihi fidito natum:
In caput ecce meum pueri tutamina ſunto,
Suſcipio ecce fidem certam, mea pignora gnati
Stent gemini in pignus ſteterint ſi funera fratris.
Unica ſic duplici, triſtis ſi nuncia mortis
Vox veniat pueri; redimatur funere vita
Ne dubita: interimas, ſalvum ni duxero natum,
Ipſe tuum, ipſe meam geminam, te vindice, prolem.
Abnuit ad dictis ſenior, fiducia verbis
Temporis experto damnum, cladem que prioris
In genitum Joſeph, nulla eſt, comitemque recuſat
Benjamin ad iter fratrum, dubioſque viarum
Horreſcit prudens caſus, retinetq̄ puellum.　　*Co-*

COGENTE FAME VIX IMPETRARUNT fratres Joſeph à Patre, ut in Ægyptum revertentes cum muneribus, ac duplici pecunia Benjamin ſecum ducerent: qui, educto Simeone de carcere, ſimul epulati ſunt cum Joſeph.

HOrrida perſtabat clades: non putrida tantum
Ariditate premunt triſti contagia campos.
Conflagrant herbæ, pinguis ſed turbida ſucci
Solvebant inopi cenſum vix flumina terræ.
Non vegetant arbuſta ſuos, non brachia, ramos:
Frugiferæ non vitis ibi generoſa propago
Proceram patulis folijs oneraverat ulmum,
Nec tenero pleni pendebant palmite botri.
Irrequieta, famis rabie frendentia ſylvas
Complebant totas, campos, animantia cœlum
Quæſtubus horrendis: ſonus undiq̄, & undiq̄ murmur.
Et nemus omne furit circum, ſimul arva fremebant.
Intereaque lues ulli quæ parcere genti
Neſcia, perſtabat: rurſus temerare paternum
Limen acerba parat: ſacri penetralia tecti
Iſacidamque domum totam mors pallida flagris
Vaſtabat rigidis: primum revocare laborem
Tentabat, renovare mali excidiumque prioris.
Jamque alimenta prius pinguis quæ grata Canopus

Contulerat, vexante lue, atque urgente ruina,
Fervor edendi epulas, ſuaves conſumpſerat eſcas.
Tunc pater ad ſobolem eſurie conſtrictus amara,
Sollicitoque metu tentus, navuſque malorum,
Ite iterum, ò gnati, tritum ex hinc carpite callem:
Ægypti (jam nota via eſt celeberrima pridem)
Horrea tentare eſt & opus, quò pallida mortis
Serior adveniat falx: nil jam deficit ultra.
Ite, eſcas & adhuc celeres perducite paucas,
Mitior ut flammis, ſtimulans dum viſcera pungit,
Ardor edendi urat, conſumptaque membra requirat.
Sic inter fratres Judas audentior omnes
Ad patrem reſponſa dabat, ſic talia reddit.
Nos jurata fides Pharias qui inflectit habenas
Rectoris, qui jura tenet, regnique potentis
Imperium, ſub teſte Deo, ſub numine divûm
Conſilio admonuit, juſſu imo adſtrinxit acerbo:
Vos vultus ſpectare meos, faciemque tremendam
Ni adveniat veſtrum minimus, contendite nunquam.
Nos Pharios iterum, puero ſed teſte viarum,
Captandi ergo eſcas celeres tentabimus orbes.
Pergamus pariter, dabitur tunc cauſa morandæ
Nulla viæ: ecce adſum: Ægypti quā carpimus urbs eſt:
Tu tibi damna moræ: longa hæc ſocordia cunctos
Hinc tua nos prohibet: noſtros hæc languida greſſus
Diſtinet: ò utinam cunctatio nulla fuiſſet,
Protinus hinc patrias nobis licuiſſe penatum

Conſ-

Conſtaret rurſus pulſare à limine portas.
Mitte, pater, puerum: tenero trepidare puello
Excidium abſiſtas ullum: mea crimina ſi non
Salvum perducam, meme ſontem ipſe requiras.
Ergo ne Pelleas, ſobolis tunc captus amore
Ingemit heu genitor, gentes ſic raptus, adire
Cogetur minimus? Vos hæc. Mea corda tuliſtis.
Perniciem inque meam rigidi dum talia fando,
Me prolem retinere aliam, teneramque parenti
Narraſtis manſiſſe domi: præcordia vultis
A me reſcindam: plangam mea fata ſuperſtes.
Poſt funus lacrymas torquent mea lumina: ſed ſi
Sic opus eſt, vadat: ſtactes, tum dulcia mellis
Munera ferte viro: amplis hinc inducite vaſis
Reſinæ cumulos: patulis non pinguia ciſtis
Thura vacent, ſyrium calathis nec deſit amomum.
Ulterius clauſis nummos, quos inde repoſtos
Traxiſtis loculis, mendo ne evenerit ipſum,
Ferte iterum numero, geminum portabitis omnes
Argentum in pera: tanquam de pectore raptum
Vobiſcum extremum pariter deducite fratrem.
Ite igitur: celſus ſolio Deus ipſe ſuperno
Det placidum vobis hominem: noſtram ipſe miſertus
Reſpiciat, doleatque vicem, ſobolemque retentam
Reſtituat citior, ſalva hæc celerique regreſſu
Limina tum repetat proles extrema parentis.
Me miſerum interea ſævis hic dirior orbum

Vexabit fortuna malis ſine germine patrem.
Multa legenda notant, cura aſt non ſegniter omnes
Magna viæ exagitat: ſaccis jumenta parantur
Muneribus cumulata pijs, pia præmia ducunt,
Multa ferenda viro calathis donaria magnis.
Ergo viæ adjumenta ſibi ſua quiſque legentes,
Arripiunt curſus pariter: concordia cunctis
Benjamin ſocio una eſt, læto tramite pergunt
Ire Pharon celeres, iterum tentare canopum.
Tunc & turritas veniunt Memphitis in oras,
Pertingunt altasque domos, tunc Principis arcem.
Ante oculos magni, longi poſt tempora curſus
Convenère Ducis Phariæ gens advena terræ.
Sic turbam fratrum decimam poſt, ultima patris
Objecta eſt ſoboles fratri lectiſſima fratrum.
Ut videt extinctæ tenero perculſus amore
Germani in facie vultus, novaque ora parentis,
Intima verſabat refluo præcordia pulſu.
Prandia lauta nimis, nimio explendentia luxu
Hoſpitibus meditatur, herus dans juſſa miniſtris.
Tunc diſpenſator nitidis mantilia mappis
Alba ſuperponens, latis convivia menſis
Inſtruit apta viris, ſcamnis exponit acernis.
Piſtor agit munus proprium, pincerna coquusque
Officium peragunt, epulas carcheſia muſto
Apta parantque, meri facta ex tunc hora diei eſt.
Protinus ad nutum, promptusque ad munera ſervus

It domino parens, atque in conclave miniſter
Inducit fratrum turmam: penetralia tecti
Regalis ſubeunt pavidi: quin ſæpe viciſſim
Quid ſibi tanta velint dubij de ſorte repoſcunt.
Proh nos! Heuquid nos? Nos huc quid ducimur intro?
En ſceleris cunctos agitat quæ conſcia fœdi
Jure huc in fratrem ſontes infamia facti
Plectendos ducit: proh nos! vel certius olim
Quam tulimus noſtris ſervata pecunia ſaccis
In caput acta redit noſtrum: probroſaque falſis
Intorquere parans dominus convicia dictis
Nos contra devolvet atrox, famulosque ſubactos
Servitio addicet, miſerosque abducet aſellos.
Hæc propter triſtans foribus dum perſtat in ipſis
Turba domus magnæ, numeroſaque concio fratrum
In partem œconomum revocat dominique miniſtrum
Conveniunt omnes, placidas auresque repoſcunt.
Jam dudum, referunt, populus cum penderet eſcas
Pro exigua elonganda anima, vitaque tuenda,
Ægyptum ob victum pariter deſcendimus ipſi:
Quam juſte ad menſam numerata pecunia fidi
In pretium dedimus, ſtatuit quam pondere libra,
Inventa eſt ſaccis, ſaccis conſtabat apertis
Cum frumenta pigris, paſtumque dabamus aſellis.
Hanc iterum inſontes numero nunc, pondere eodem,
Argentumque aliud, parcas quò pendere fas ſit
Eſcas, attulimus: noſtra aſt non conſcia facti
Mens

Mens penitus perſtat, noſtris quis fraude nefanda
Extiterit nummos auſus componere ſaccis.
Vos animo, ad pavidos facilis dans verba miniſter,
Eſte bono fratres, inquit, nec percita curis
Mens jaceatque malis: allata pecunia pridem
Cuncta probata manet, pariter nunc conſtat apud me.
Hæc Deus ecce ſuis facilis qui munera ſervis
Haud negat, ille dedit vobis, cui provida mens eſt.
Dixit, & ut lætis verbisque affatus amicis
Eſt cunctos, quem longa tulit cuſtodia diris
Sub laqueis fratrem, ſolidis vinclisque revinctum,
Eduxit coram ſalvum vinclisque ſolutum.
In ſecreta domus comis penetralia ductis,
Obſequioque pius lympham de more miniſter
Exhibitam manibus retulit, pedibusque lavandis:
Tum jumenta cibis, pariterque refecit aſellos.
Temporis interea, quoaduſque ad prandia Princeps
Intraret, famuli impigri pro munere menſas,
Conferta inde epulis complent triclinia lautis.
Munera danda viro fratres tranſvecta parantes,
Perficiunt vigiles patulis donaria diſcis.
Ergo domum Joſeph generoſo aſtante ſenatus
Conventu, inſignis facie, pompaque decorus
Intrabat ſtratam: pavidis pendentia fratres
Dona ferunt dextris: pariter tunc poplite certo
Turba undena ſimul ſtellarum à numine Vatis
Acta ruit, meritos fratri pendebat honores.

Ille,

Ille, ſalutatis cunctis de more, paterno
Ductus amore, patris repetit rogatque ſalutem.
Eſt ne ſenex ſoſpes? vel adhuc annoſus ab ævo
Ille mihi dudum de quo dixiſtis & olim,
¿Veſter alit longam genitor ſine funere lucem?
Vivit adhuc: en ducit adhuc ſine crimine vitam.
Haud ſecus & cuncti rurſus poplite inde trementi
Sic reſponſa dabant iterumque, iterumque, roganti.
At pius abs alto frontis tunc vertice blandos
Attollens oculos Joſeph, tum lumina flectens
Germanum aſpexit venter quem fecerat idem.
Eſt ne puer frater minimus, res cara parenti,
Iſte, mihi cuncti de quo tam ſæpe dediſtis
Verba relata prius: puer hic: puer iſte tenellus?
Det tibi ſacra, puer (rurſus pia lumina figens
Inquit) ab hinc ſemper Deitas tibi ſæpe benigna
Caniciem aſpectare patris ſpectare ſenectam,
Tum fratrum implēdam numero celebrare catervam.
Dixit, & ad verbum blandus cum diceret iſtud,
Erumpunt lacrymæ: curſus cohibebat obortos.
Vel ſic ut ſolis radio ardore inde ſoluta
Marmorea & quamvis perſtet, conſtrictaque ceræ
Maſſa liquata fluit: rapido dum fervet ab æſtu
Teſtea vaſa ſubit, ſonitu bullitque fremente,
Erumpitque foras: rurſum fervore tepenti
Concreſcit, ſtatui pariter datus apta priori.
Haud aliter fratris ferveſcens pectus ab igne

Viſ-

Viſcera per blandos reſoluta emittit ocellos.
Poſt liquidas oculis fontem quem tradidit undas
Temperat à fluxu: ſimulat: rurſumque ſerenus
Educit vultus hilares, ſubitoque miniſtros
A dapibus ſtimulat, pariterque ſedilia complent.
Tunc commenſales Pharij, fratresque ſeorſum
Abs ipſis ſellas retinent: noxa horrida genti
Iſiacæ Hebræam inſimul eſt conjungere prolem,
Iſacidasque epulis gentes componere in unum.
Ipſe ſedere viros, ac ſi diſtingueret omnes
Inde per ætates fecit, ſedemque Rubeno
Dat primam, quam primus avet ceu dignior ortu:
Sic reliquosque dabat fratres ex ordine ſellis.
Facta vident, ſedesque tenent, mirantur at ipſi,
Atq̄ hominis mentē exhorrent, tum numina plaudunt.
Se externum ſimulabat adhuc, ſe munere Vatem
Jactitat: ille ſuis veluti celebrandus aruſpex
Fratribus inde patet, pariter ſic creditur augur.
Crater erat nitidus, ſolidi candore metalli
Argenti apparebat opus fulgebat & auro:
Unicuique ratam per ſingula pocula ſedem
Hauſtus ſignabant: ſimulat per pocula cuique
Vaticinare ortus notum tempusque diemque.
Sic minimoque locus minimus, primusque priori
Obvenit natu: cunctis hæc præſcia veri
Mens tunc ipſa viris, animus tum conſcius ortus
Cauſa ſtuporis erant: ſed adhuc formidine punctos
Plus

Plus trahit acta dapum pars, quã præ munere largus
Ille cuique dabat: præ cunctis portio major
Quæ obvenit minimo partes ſupereminet omnes:
Partibus hinc reliquas minimo pia munera fratri
Excedunt quinque: hoc ſtudium perfecit amoris.
Lumine quem toto, radio quem cernit aperto
Turba, prius notum, poſſit ne noſcere fratrem,
Lumine torpeſcit radio retinetur in ipſo.
Noti ergo ad menſam fratres à fratre ſedentes
Ignoto, indulſere cibis, timidique ſileſcunt.

JOSEPH, ABSCONSO SCYPHO IN ſacco Benjamin, revocatos ab itinere fratres furti arguit: Judas autem pro Benjamin ſe in ſervitutem offert.

TEmporis interea genitor perculſus acerbis
Dum languet curis, peregrinam cernere prolem
Aſſiduis ſperans lacrymis, titubabat anhelus.
Ceu teneros mœſtus turtur dum credit iniquo
Ereptos furto, veluti de pectore, pullos,
Hac illac gemebundus abit, pia corda repungens,
Per denſas ulmi diſcurrit quæſtubus umbras.
Ad patrem remeare pium jam cura dolentum
Gnatorum impellebat amans: non tempus ad horam
Mens differre ſinit, morulam vix ſuſtinet ullam.

Arte potens cauta rurſum exercère ſuorum
Infractum intendens animum, dat juſſa ſagaci
Verſutus famulo Joſeph, ſaccum uſque replendum
Ad ſummum cujuſque jubet: mandata miniſter
Ad nutum facilis complet, tum fraude decente
Clam nummos pretium farris præſcribit agenti
Sub ſummum famulo mittat, ſubterque recondat:
Tum minimi ſaccum calicem quo flumina Bacchi
Exhaurire ſolet: quicquam non ſervus amuſſis
Reſcidit exactæ: tentant jam compita fratres
Ex hoc, regreſſumque parant, aſinosque requirunt.
Orto mane novo roſeo jam cautus eoo
Dimittit fratres: callis compendia cuncti
Tentabant celeres, ſtimulis jumenta premebant.
Plurima reſtabant, dubia atque pericula fractos
Urgebant iterum, varij triſtesque labores.
Dumque vias carpit, vicum proceſſerat unum
Turba incauta virûm: ſubito mandata fideli
Tranſmittit ſervo Joſeph perquirat euntes.
Irruit in miſeros: ſubitis quos terruit armis
Inſimulat furti, denſo tunc milite cingit.
Ecquod, io, probum hoc, quo vos malus intulit error?
Quam patera è menſa infami ſubducere furto
Auſi eſtis domini, dominus qua in ſumere potus
Aſſolet, eſt eadem: augurium dum pocula libat
Fatidicus monſtrat crater: vos turpia ſontes
Patraſtis ſcelera, infames vos pendite pœnas.

Tur-

Turbati haud aliter quam inopino murmure fulgur,
Tum fera & ira Jovis terras exterret ab ictu;
Non tamen enerves animo, virtute valentes
Pro ſe verba viro reddunt, qui pectore fitmo
Propugnant cauſam dictis, objecta retorquent.
Quam nos inſontes ſubmiſſa pecunia noſtris
Duximus in ſaccis pridem, penſataque pondo
Allata eſt rurſus, numero quoque tradita certo.
Qui ſemel ille bonus, ſemper bonus inde, piusque
In genere ipſe boni pariter cenſetur eodem.
Ergo ſono diſcors res eſt, injuria dictis
Hæc conficta tuis, probroſa, omninoque factis
Res aliena, tui domini de divite furto
Menſa aliena rapi: de noſtris forſitan unus
Subripuiſſe ſibi quicquam inveniatur iniquus,
Occidat ille magis: nodoſam faucibus arctam
Suſtineat reſtem, gentis (mala juſta) reatum,
Quæ pravo aſſueta eſt, ſemperque obnoxia rapto.
Nos domino addicti, quanquam ſine crimine curis
Subjecti maneamus ibi ſervilibus ultro.
Annuit extemplo facilis, dictisque miniſter
Obvius it placidus. Veſtris ſententia verbis
Jure eat infracto: maneat ſic frater apud quem
Furtivus conſtet crater, vel fraude repoſtus.
Mancipio adſcriptus, vinclis teneatur acerbis.
Ut primum hæc fatus, poſitos ex ordine cunctos,
A primo incipiens ſaccos ſcrutatuor apertos.

Ventum erat ad minimum. Proh Di! quis talia fando
Auditum moveat dignus cui credere fas ſit ?
Conditus in minimi ſacco poſtusque latenter
Commento extrahitur crater, vulgo inde pateſcit.
Tunc fraterna ſimul nimijs, quas dura miniſtrat
Pœna, datis lacrymis, turba ac immerſa dolore
Rurſum aſinos onerare parat, remeare domumque
Contendit Phariam, ſegnesque urgebat aſellos.
Non dum erat foribus patulis diſceſſus ad horam,
Abſtiterat ve loco Joſeph, cum primus ad omne
Vel facinus Judas ſemper generoſior, auſu
Intrepido ingreditur: fratrum ſectatur amaris
Luctibus acta cohors, Judæque aſtabat eunti.
Corpore prociduo, genibuſque à poplite tractis
Oravere ſimul: pavidas à pectore fundunt
Aſtantique viro lacrymas; iterumque tremiſcunt.
Serius ille ſuis, & adhuc aſpectibus aſper,
Vos ne latet, fatur, memet per numina doctum
Noſcere corda virûm, ſimilis cui nullus ab ævo
Augurij agnitione viget? Pro fratribus unus
Verbis verba dabat Judas tunc voce relatis.
¿Quid tibi nos homines dignũ: & quid poſſumus ultra,
Proh miſeri! Objectis verbis tibi reddere verbis?
En Deus ipſe tuis famulis, qui plectere ſontes
Quærit ab irato ſolio, nunc reddere nobis
Forte vicem tentat, noſtriſque piacula factis.
Ex hoc nos cuncti, cujus tum frater, ademptus
In

In ſacco inventus ſcyphus eſt, perferre reatum
Pellimur, inde tibi ſervi numeramur, & omnes.
Haud adeo aſper ego, pueri, qui talia ferrem:
Ite iterum ingenui, atque ſenem vos viſite patrem:
Venditus ille mihi tantummodo vincula furto
Suſtineat ſervus, calicis qui crimine rapti
Fœdatus patuit, probro reſperſus iniquo.
Hìc animo intrepidus, nunquam non robore firmum
Objiciens pectus, corde ut perſtabat acerbo,
Accedit propius Judas: fiducia duris
Auxilium rebus: complet ſic vocibus aures.
Poſt Pharaonem alter mihi tu, pia numina poſco.
Nos de patre prius, rurſum de fratre rogati
Nos minimo: ad verum reſponſum ſæpe relatum eſt.
Quem tenero genitor tenerum ſervavit amore
Hic valet uſque puer patris ſervare ſenectam.
Te ſuper ora graves oculos firmare puelli
Monſtraſti voluiſſe pium: mandata dediſti:
Geſſimus en morem: patris de pectore raptum
Duximus huc puerum, verbo rediturus in urbem
Stat puer iſte meo: genitoris funere dirus,
Ni redeat ſalvus, canos in tartara ducam.
Me me ergo in ſervum fidei qui verba parenti
Juravi, obſtringas, in me converte ruinam.
Mœrorem aſpectare ſenis, ne funera triſtis,
Ne ærumnæ vel teſtis ego, quæ eſt impete diro
Oppreſſura patrem, fato hinc arreptus iniquo

Obliger

Obliger invitus: Servum me hinc ducito Judam.
Dixit: & ut dictis tetigit præcordia verbis,
Turba aſtante, pium fratris jam mollius ultra
Pectus ab auditis, fratrum qui exæſtuat igne.
Se cohibere nequit, torreſcunt ilia flammis.
Non ſecus Ætnæam complet cum flamma culinam,
Qua in ſufflat Steropes, ructat qua fulgura Brontes,
Qua vibrat Æmonides fumantia tela Pyracmon:
Ignis ab intus agit: reſidentem pondere maſſam
Summovet abs imis, pulſu tremit excita tellus:
Tunc ſonitu horriſono gravitantia ſaxa propulſat,
Impellitque foras, abſconſa ut fulmina jactet:
Viſcera ſicque patent ardentis ſaxea montis,
Conceptis reſonat pariunt quas ilia flammis:
Evomit exterius tædas, atque æthera complet.
Nil minus acta calent motis dum pectora fratris
Ignibus interius: fratrum atque ardore parentis
Panditur exterius, flammæ os committit apertum.
Tunc comites removeri omnes, turbamq̄ frequentem
Juſſit abire foras, teſtis ſic nullus adeſſe
Alternæ agnitioni auſit, ſpectator & abſit.
Extemplo fuſas lacrymas à pectore ductis
Queſtubus ingeminant oculi, vox horrida totum
Inſtrepuit Pharium complens faſtigia tectum.
En ego ſum Joſeph: veſtrum quem cernitis, ecce
Fratrem, vos Joſeph iterum, vos cernite veſtrum.
Vivit adhuc genitor? ſit ſic: nova tempora vivat.

Sic,

Sic, ut perculſa eſt auris, cum buccina rauco
Perſtrepuit ſonitu, pariter ſic murmure fratres
Attonitos vox terret atrox: vox horrida vox haec.
Vox ea viſa tubæ eſt: muto ſed more ſilentum
Vix reſponſa ſonant, pes nec motatur & ullus.
Tunc piger ad duras, promptusq̃ ad munera, pœnas
Sic loquitur lacrymis: blandis inſtabat anhelans
Ille ſuos verbis: dictis captabat amicis.
Ad me, nec pavidi; freti contendite fratrem:
Venditus ecce adſum quondam qui has miſus in oras.
Non ſcelus ut memorem, refero, pretium ve nefandũ:
Signum dans fratris notum; non crimina pandens
Acta fero: vulnus quid jam renovetur acerbum?
Sollicitus veſtrum terror per corpora ſenſum
Haud nimium immiſſus cruciet: vos credere firmis
Nunc Divûm curis jus eſt: me huc provida celſi
Pro vobis profugum juſtè ſapientia duxit.
Ut pater en Pharaonis ego: prope ſubdita noſtro
Imperio ampla domus, noſtri eſt tum Regia juris;
Totius aſt Pharij memet Deus omine regni
Rectorem ſtatuir dextro, moderamina gentis
Niliacæ dedit ipſe mihi: Deus omnia fecit.
Pergite nunc properi, caro mea verba parenti
Ferte citi, atque decus noſtrum vos dicite teſtes.
Filius hæc tibi nunc ſoſpes ſic omnia mandat.
Ille tuus quondam Joſeph modo vivit, & inde
Princeps plena tibi mittit ſua verba ſalutis:

Tu

Tu modo fac venias ad me: diſpellere tempus
Non decet: arcta fames geminum jam ducta per annũ
Quinque per immeritas inſtabit tempora terras.
Geſſen terra tibi hic, gregibus, tum gramine pinguis
Alma patet tellus latis Peneia campis.
Ocyor advenias Euro: te turba nepotum
Sectetur fragilis; morulis ne & frigida tardis
Mortis alumna lues totum difuſſa per orbem,
Efuriesque premat: cunctos vos paſcar apud me.
Tunc, cum lingua cavo nimium compreſſa palato
Intercluſa vacat, lacrymas, quæ munera linguæ
Interdum ſervare ſolent, perque ora cadentes,
Immiſcent verbis oculi: per colla ſuorum
Brachia firma trahens, ſtrictis amplexibus ibat.
Unum quemque ſuper fratrum procumbere fuſo
Cernitur immiſſus fletu, pendensque manebat.
Dum premit at minimi collum, dum corpora cari
Contendit fratris validis vincire lacertis,
Dum tenerumque tenet pendens ad pectora pectus,
Jam æquo tunc animo, gelida de corpore pulſa
Quæ horrentem traxit mentem, formidine, fratrem
Sunt auſi eloquio: faciles per munera linguæ
Mutua verba dabant, ſibimet pia corda ligantur.
Audijt hæc Pharao, celebri nitidamque per aulam
Facti fama ſono crepitantibus evolat alis.
Ut fratrum adventus Joſeph ſermo ivit ad aures
Regis, ad inſolitum eventum convenit in unum
Auli-

Aulicus applodens manibus, tum mobile vulgus.
Haud mora (Rex juſſit) properans Nilotica carus
Fac modo regna petat genitor, cognatus, & omnís
Jure ſodalitij conſors, tum ſanguine junctus
Convolet in Pharias, pingues habitabitis urbes.
Fratribus hinc jumenta dato, transferre parentem,
Congrua quo valeant pariter neptesque, nepotes,
Plauſtra ferant: ſaccis celeres alimenta reponant,
Auxiliumque viæ: torpor non tardet euntes.
Ocyor imperio Regis parat omnia: cunctis
Accinctis ad iter, verbis quos tractat amicis,
Veſtes dat binas, unique induſia cuique
Bina dabat: largus manibus ſed munera plenis
Plura dedit minimo, longas pro tegmine quinas,
Optima dona, dabat veſtes: tum prodigus uni
Munera ter fratri numerans argentea centum.
Talares pariter tunicas, totidemque parenti
Argenti mittit nummos, tranſmittit at auri
Copia quot profert gazas ditiſſima Nili.
Dimittit fratres: cautus quos mittit euntes
Præmonet ille ſuos, prudens dat verba ſalutis:
Jurgia poſtponant mandat, de pectore diras
Pergentes vitent anteacta ob crimina rixas.
Arripiunt, inſtante vias ardore ferendi
Invento de fratre pio tunc omine fauſto
Nuncia verba patri, dudum qui infauſta tulere.
Sic omnes ſic regna citi Nilotica linquunt,

Arva ſimul properis pedibus Chananæa legebant.
Quo morulas onerata magis jumenta repoſcunt,
Plus levibus tanto vexant talaria pennis.
Conſcendunt pariter, tectum pulſare paternum:
Quis de quo, primum limen quis primus adorſus,
Certatim accelerant: adventus nuncia fauſti
Improviſa ſtrepit domitorum verbere flexa
Ungula cornipedum, ingenti quæ exſudat anhelans
Pondere preſſa nimis ſtabuli quò limina tractet.
In patris conſtricta ruunt dum corpora firmo
Complexu aſtringunt, pariter dum verba ſalutis
Nuncia quiſque dabat fratris, vox perſonat una,
Inſimul una ſonans, patris ſic verberat aures.
Filius ecce tuus Joſeph tua vivit imago:
En redivivus agit vitam, quem funere quondam
Hinc fera ſæva tulit, falſo tunc ſanguine raptum.
Vix pater attonitus firmo dat pectore dictis
Conſenſum verbis: magnis inſignia fratres
Signa dabant factis: hæc ſic onerataque pandunt
Cum jumenta gravi frugum, tum pondere & auri.
Dum renuat noſtris (fantur) ſe credere dictis
Pectus ab ore tuum, rebus ſi facta loquuntur,
Comprobet inde fidem, fidei ſtant robora rebus.
Plauſtra videt, jumenta notat, meditatur aſellos,
Quos oneroſa pati cernit tot pondera tergo:
Comprobat inde fidem, noſcit dum limine ab ipſo
Tot monimenta pium teſtantia vivere natum.

Sunt

Sunt ſatis iſta mihi (dixit) nunc jure parentis
Nomina magna feram: Joſeph mea viſcera gnatus
Si viget ille, vigens pergam, ſobolemque priuſquam
Decedam, cordis vetulus nova pignora cernam.

JACOB, RENOVATA DEI PROMISSIOne, cum univerſis filijs ac nepotibus in Ægyptum deſcendit, cui occurrens Joſeph ſuadet ut Pharaoni ſe paſtores ovium dicant.

JAmque pater molitur iter, nec deſide greſſu
Tunc Pharias tentare vias, transferre penates
Intendens, properus ſecum gnatosque, nepotes
Tranſtulit inde ſenex patrijs longævus ab oris.
Carpit iter celeri genitor dum numine paſſu
Ductus ab excelſo, puteum perquirit anhelus,
Vota ubi fumoſis holocauſtis fecerat olim
Thariades Abramus ſemen qui inſpexit in aſtris.
Dona ibi ſacra Deo, Dominus promiſſa viciſſim
Ingeminat pretioſa ipſi, prolemque futurum
Ad ſæclum ſpondet longam: Memphitica juſſit
Regna habitare diu, longo poſt tempore donec
Sit patrias in prole nova rediturus ad urbes.
Inde Parætonias, longe quas conſpicit arces
Ardebat genitor: gnati cum flagrat amore
Conſpiciendi avidus Memphitis proximus urbi

Nuncia curſoris gratam per verba ſalutem
De adventu præmittit amans pia pignora nato.
Nuncius it Judas, præfert mandata parentis
Promptior ad curſus, pedibus qui aut ſegnis & armis.
Præveniat mandatque parens accurrere Geſſen
In terris Joſeph, tenſis ubi blanda lacertis
Oſcula ad ora ſenis figat ſignata parentis.
Interea vetulus lentus pede, pectore pernix
Ad gnatum cum prole pia Mareotica verſans
Arva venit ſenſim, currusque inſtabat anhelus.
Congruit ut gnato, patrem pariterque decebat
Turrigeram Jacob Joſeph vecturus ad urbem
Quadrijugo reſidens, oſtro decoratus & auro
Obvius advenit: currus tunc lora relinquens
Ad lacrymas tantum collo ſuſpenſus habenas
Laxabat patris: verbis tunc ora carebant.
Corda patent pulſu ſobolis, ſic pectora Patris
Sanguinis ictu ibant tantum: linguamque tenebat
Mutus uterque ſuam, verba atque obſtantia verbis.
Brachia utrinque loqui, tantumque amplexibus ulnæ
Strictis agnorant: animæ religantur in ulnis.
Jam lætus moriar, faciem quia lumine, dixit
Ipſe tuam vidi, atque iterum mea lumina, dixit
Nunc cita mors claudat: quid jam mea vita ſuperſtes?
Hæc pater: inde ſuos fratres, patrisque nepotes
Complexu aſtringens Joſeph, ſic commonet omnes.
En Pharaoniacas veſtro jam numina terras
Cal-

Calcandas tribuere pede: hic armenta bubulcus
Paſcere gaudet, oves paſtor, petulantia campis.
Eſt gregibus Geſſen liquidi pinguedine ſucci
Terra potens nimium, nimioque exercita paſtu.
Hic armenta boum, taurus, pecus omne petulcum
Attondent hirci pariter, ſuſique per herbam
Nunc virides frondes, unco nunc gramina dente.
Nuncius ad Regem pernixque, celerrimus ibo:
Gens cognata mihi, genitor peregrinus in oras
Niliacas, referam, venit: tu præcipe terræ,
Si tamen hoſpes erit, valeatque hic advena dici,
Hoſpitium teneat, perque hoſpita littora Nili
Ruſtica paſcat oves patulis gens dedita campis.
Vos paſtoralem moniti, fortaſſe rogati,
Reſponſis firmate duci propenſius artem.
Sic Geſſen, ſic ampla udo vos pinguia fonte,
Quæ undantes refluunt rivos retinebitis arva.

INTRODUCTO AD PHARAONEM JAcob terra Geſſen conceditur. Urget adhuc populos fames: Quinta pars fructuum Regi obvenit, præterquam in Sacerdotum poſſeſſionibus. Adjuratur Joſeph de ſepultura à patre.

REgis ad interius Joſeph penetrale cubicli
Nuncius intrabat: tendensque à limine greſſus,

Alta

Alta per inceſſus ſolij faſtigia celſi
Tentabat Pharij vultus, animumque ſubibat
Ille Ducis: genitor, pariter cognatio, dixit,
Tota ſimulque manus, junctim fratrumque, nepotum
Confugit, à rabida exhauſti modo percita ventris
Eſurie, in Pharias poſcens ſolatia terras.
Arva, premente fame, ſedem averſata paternam
Gens gregibus pollens fato Chananæa reliquit.
Finibus in Geſſen Pharij ad confinia regni
Supplicibus cuncti votis tua juſſa precantur.
Lætus ab auditis Rex tunc, quota perſonat oris
Aula aderat Regis plauſu, totumque per intus
Applaudit manibus populari murmure tectum.
Extremos adiens, lectos quoque corpore fratrum
Sedulus hinc Joſeph Regi nova pignora ſiſtit.
Hos de opere hinc Pharius picta de ſede rogatos
Diſcutit, atque omnes ſemet profitentur ad unum
Paſtores ovium, pariterque ad gramina tauros
Ducendi ſegnes, omnes ab origine navos.
Poſtremum ſenio, canis caput inde capillis
Reſperſum, ad Regem ducens ex ordine patrem,
Suſtinet ille manu pietatis munere tardis
Nutantem pedibus: ſolij hic ad limina vergit.
Fauſta rogat Regi, placidis dum pergit ab ore
Religione pius bene Regi dicere verbis.
Rex de ætate ſenem longis perquirit ab annis,
Vir facie, ecce manu portat qui inſignia falcem,

Pen-

Penniger ille pede, & perſuſus corpora rugis
Corpus ad uſq̃ trahit centum nunc tempora noſtrum,
Tergeminatque decem ſeros quos ducimus annos.
Vita operoſa gravi gravior fit ſæpe dolore:
Tempora longa malis ſæclo ſunt ferrea noſtro:
Tempora parva bonis noſtro non aurea ſæclo.
Dixit ut hæc, Regi rurſum benedixit: ab ipſo
Diſcedit ſenior: Regis præſcripta ſecutus
Filius in partes patri, fraterque ſeorſim
Fratribus aptabat riguas à flumine Geſſen,
Dividuas tribuens Regis de nomine terras.
Eſuries perſtabat adhuc, famoſaque duro
Circumquaque lues cædebat verbere gentes.
Deficiuntque prius nummi, æra argentea granis,
Sordida quam ſævas perdant contagia vires.
Fragmine pro panis ſtabulum, vileſcit ovile,
Commutantur oves, grex ſic, armenta boumque,
Balantis pecudis pariter genus omne tenellum:
Floci penduntur, pretio ſtant arvaque nullo.
Cuncta nihil; panis fruſtum ſed ponitur ante.
Jam ſumus, en, miſeri (tanta eſt penuria ventri
Exiguam ob Cererem) nos nil niſi corpora tantum.
In partem ceſſere ſimul noſtra omnia in unum,
Prædiolum, fundusque domus, res ruſtica Regis:
Hinc domino venum ire tuo pro vilibus ultro
Eſcis reſtat adhuc nobis: tu ſemina ſervis
Providus ad gravidas tribuas genitalia meſſes,

Abſ.

Abſque ſerente jacens pereat ne terra colono.
Hæc populi ad Joſeph, regis qui nomine partes,
Semina dum tribuit, populo numerabat id omni
Quinas regifico præſtanti fœnore fiſco.
Dat quatuor populis reliquas ad ſemina frugum
Ad victum pariter dona hæc appoſta colonis.
Terra Sacerdotum tantummodo, credita divis,
Regifica abs onere hoc immunia jura tenebat.
Magna fuit veſtris, Pharij, reverentia Sacris:
O! fuerit Sacris utinam reverentia noſtris.
Ergo dabat populis Joſeph alimonia cenſu:
De penore ipſe pio Regis nutrimina cultu
Sacrificisque dabat ſolers ſignata miniſtris.
Annonam toto pariter pro tempore peſtis
Fratribus inde pari patri præſtabat amore.
Poſthac jam ſenio genitor confectus acerbo,
Dum pede carpit iter, vitæ complerat anhelus
Bis centum, annorum numero ſi demere quinas
Hinc decadas noſcas, & adhuc hinc tempora trima.
Falce armata manu gelidæ quæ filia noctis
Tartareique Erebi ſoboles generata parentis,
Tunc propero pulſans ſenioris limina greſſu
Extremum vitæ reſecabat ab ordine linum.
Nuncius hinc ſobolem ſubitus qui fata parentis
Proxima portabat, ſtrato accerſivit ab arcto.
Accurrit properus Joſeph: pater ultima caro
Tunc nato mandata dabat, monimenta ſepulcri.

Da mihi, care, tuæ fidei mihi pignora, dirum
Ne dederis Pharijs tumulum, non funera terris,
Noſtra ve Niliacis patiaris corpora buſtis:
Sit mihi terra patrum Chanaan ſignata meorum,
Facque meos patrijs Manes requieſcere in umbris.
Jusjurandum opto ſic ſis facturus: ad iſtud
Vel femur ipſe patris dextra, coxam ve teneto.
Fit jurata fides, fiunt promiſſa parenti:
Tunc caput iſte tori ſupplex pia corpora verſus
Erigit ad numen, numen firmabat acerra.

PATREM JACOB IN EXTREMIS LAborantem adit Joſeph: benedictionem filijs ſuis, ſibique in ſua poſteritate implendam conſequitur: Jacob tandem his peractis letho concedit.

JAmque fores celeri (fugiens ſic præterit ætas)
Veſtibulumque patris vetuli mors gelida paſſu
Ictibus inſtabat, poſtes pulſabat aniles.
Ipſa ſenecta viro morbus: ſic corpora lecto
Languida temperies longis ſternebat ab annis.
Ultima reſtabant: hominis tunc morbida virtus,
Atque anima intra oculos medijs jam nabat in umbris.
Protinus ad fractum gemina cum prole parentem
Ire parat curis Joſeph diſtractus amaris.
Audit ut hæc ſenior, ſubito quæ in corpore vires

Invaluere prius, ſumpſit, lectoque reſedit.
Forte videt genitor geminos hinc inde paternum
Egregios ſtipare latus, dextraque ſiniſtra
Cingentes patrem, medium Joſephque tenentes.
¿ Qui tibi ſunt inſti, quærit, quid, & unde puelli?
Comperit ut juvenem, gnati per dicta, nepotem
Eſſe & utrumque ſuum, chari quoque ſemen Joſeph,
Ex hoc jam pueros, dixit, mea præmia natos
Ipſe meos veluti numero, propriosque tenebo.
Ad me adduc geminos, ſtrictis quo utrumq̃ lacertis
Complectar mitis, unum benedicere quemque
Iſtorum ut valeam ſenior, fauſta inde precari,
Faticiniſque beem ſacrato à pneumate verbis.
Tunc ſenis ad lævam genitor conſtare minorem,
Tunc natu primum pariter dextramque tenere
Conſtituit cautus geminos ex ordine fratres.
Facta videre ſenex nimia tunc ſtrage ſenectæ
Vix valet ad ſenſus oculorum munere captus:
Numinis aſt revocans celſi de lumine lumen,
Plurima mente capit ſæclis celebranda futuris.
Crux manibus conficta ſenis primo inde ſiniſtram
Ponentis natu; minimæ ſed dextera proli
Sorte venit melior: magnum hoc à numine monſtrum:
Commutanſque manus lignum venerabile ſignat.
Vix pia facta probat penitus quæ ignara latentis
Arcani eſt ſoboles vetuli præclara parentis.
Unde, ſuper primum natu tranſvertere patris
Co-

Conatur dextram, minimoque aptare ſiniſtram
Nititur, in pejus torquens myſteria dextræ.
Aſt renuit ſenior: noſco mea munera dixit:
En ſcio quid faciam: te, mi nunc numina fili
Et decet in melius ſoboli perquirere Divûm.
Major erit magnus; minimus ſed ſemine major:
Dignior hic illo eſt: danda en ſunt præmia dignis.
Magna ſuper minimo repetit, ſuper hoccine magna.
Hæc poſtquam pueris fuerat ſic fauſta precatus
Ad gnatum genitor verſus pia pectora charum
His poſtrema dabat languens tunc brachia verbis:
Ecce ego nunc morior, trux en Libitina ſecuri
Diſtricta in guttur vulnus molitur acerbum.
Viſere vos Domino en poſt mea fata placebit,
Et Chanaan pingues fauſto prius omine veſtri
Quas tenuere patres rurſus pertingere terras
Vos Deus hinc faciet, priſcum retinebitis arvum.
Extra do ipſe tuos tibi nunc mea munera fratres,
Quam gladij inde unam quondam mea brachia partem
Jure, Paleſtinam tulerant poſt prælia prædam.
Inde domum, ad ſuperos prope diſceſſurus, in unum
Convocat ille ſuam: poſitos ex ordine natos
Præſcius aggreditur, ſæcli doctusque futuri.
Proſpera verba dabat ſenior: benedicere cuiquam
Dum ſtudet, optatam cunctis dabat ille ſalutem.
Increpat at merito genitor, dum talia gnatis
Prædicit, facinus tranſactaque facta ſeverus.

Cuncta tamen celebris prorſus plaudenda parenti
Acta patent Joſeph, cui ſit benedictio major.
In capite alta tuo veterum, te ſoſpite, creſcant
Dona, favente Deo, præclaraque tempora patrum:
Filius aſpectu accreſcens, vultuquedecorus,
Accreſcens quantum invidia laceratus iniqua:
Omnipotens cœlo tibi nunc benedicat ab alto,
De ſuper è celſis barathrique per ima deorſum:
Te benedicta manent vulva, & plena ubera natis.
Dixit, & ut tumuli tectum, gelidumque ſepulcri
Signavit loculum, poſito tunc corpore lecto
Grandævus vitæ valuit contingere metam.

JOSEPH CORPUS PATRIS CURANS cum ſenioribus Ægypti proficiſcitur, ut in terra Chanaan ſepeliat: quo magna ſolemnitate peracto, fratres ob irrogatam in illum injuriam ſibi timentes, benigne ſuſcipit, & conſolatur: qui ubi mandatum dediſſet de ſuis oſſibus in Chanaan deferendis, in pace quievit.

EST ſpecus in Chanaan patulis celeberrima campis,
Oſſibus urna cavis, Duplicem dixère priores:
Séu quia fœmineo, partim disjuncta, virili
Dat cineri loculum, & ſexum concludit utrumque:
Seu

Seu quia ſpelæum forſan ſecretius unum
Intra aliud vaſto loculus circundat in antro.
Thariades foſſa jacet hac, pia funera jungit
Conjuge cum Sara, tumulo conduntur eodem.
Hac pater Iſacidum fovea quoque tectus ab ima, &
Functa Rebecca manet, fato haud disjunta marito.
Hic jacet illa oculis lippis, quæ fraude paterna
Ipſa viro quondam ſtudio eſt ſociata latenti.
Exanime ut ſoboles corpus tunc cara parentis
Conſpicit, in faciem functi pia viſcera fundens
Oſcula dat fixis, (ducit ſic funera) labris.
Inde Machaonia famulis ipſe arte peritis
Juſſa dabat Joſeph, gratis, quibus Indica tellus
Affluit unguentis, corpus condire paternum
Curarent gnavi, in ſtrictam quo excederet urnam.
Sic poſt defunctum liniunt quam balſama corpus,
Quadraginta fluit ſpatium non ſegne dierum:
Conditorum erat hic uſus, ritusque verendis
Corporum ab antiquis, multis ſervatus ab annis.
Tum decies ſeptem luctus tranſire dierum
Fecerat hinc tempus: totus qua vertitur orbis
Niliacus planctu hæc dederat funebria functo.
Triſtia cum dederunt corpus tunc funera circum,
Obteſtata prius ſoboli quam vita parentis
Ad patrios iret Manes, umbrasque ſilentûm,
In Chanaan tumulis reſtabat terra ſepulcro.
Copia danda viro patrias ut ab iret ad urbes

Fune-

Funeris ob munus, Regis captatur ab ore.
Ergo patris gelido, ducit dum corpora, mæſtus
Pondere carpit iter: grandis comitatur euntem
Turba domus Phariæ juvenumq̃, virûmq̃, ſenumque,
Atque equitum comitante manu, turmæq̃ pedeſtris,
Multus ab orbe rotas currus circumtrahit axis:
Sic numeroſa nimis, comitum pars ultima facta eſt.
Area trans flumen Chanaan contermina campis
Æqua patet dorſo, vergens Jordanis ad oram:
Apta terendis triticeis tunc area granis,
Funereoque ſimul celeber tunc facta dolore.
Septem ibi luctus erat, rurſusque ob fata diebus:
Multoties juſta hæc tanto data jure parenti
Ægypti planctus: dederat tunc area luctu hoc
Ipſa loco nomen multis memorabile ſæclis.
Ad geminam demum properat, cingente ſenatu,
Tota cohors comitum gelido cum corpore foſſam.
Juſſa prius juxta functi dum vita maneret
Ad patrios cineres, gemitu quod duxit amaro,
Supremo ſoboles perfecit munere corpus.
Utque parentarat, tumuli ut complerat honores,
Ad Pharium remeare ſolum, comitante ſenili
Magnatum turma, fratrum ſtipante caterva
Nititur hinc Joſeph: properat: fervetque regreſſus.
Mens aſt tunc fratrum rurſus memorare vetuſtam
Prævaluit noxam, primique piacula facti.
Conſcia adhuc priſcæ fratrum ſententia culpæ

Irre-

Irrequieta metu mentes lacerabat iniquo.
Jam patris reſpectus abeſt, præſentia deſit,
De fratre & fido nulla eſt fiducia fratrum.
Nil non prava fides, nil non mala cauſa timendum
Comperit in cunctis multum ſibi noxia factis.
Ad fratrem mandata dabant, ſimulataque technis
Suppoſito verba emittunt ex nomine patris:
Hæc tuus ipſe ſuis nobis tibi dicere verbis
Præcepit vivens, & adhuc per munia ſenſus
Inde potis genitor ſemper per viſcera mitis.
Parce pius, fratrum noxæ jam nec memor eſto:
Neque iterum priſcum facinus tua viſcera jactet,
Poplite nos Rurſus miſeri præcordia flexo
Mollia teſtamur: fratrum miſerere tuorum.
Auribus hæc Joſeph: pariter ſtillantia mœſtis
Reddebat reſponſa oculis, madidasque per ora
Fundebat voces: fratres relevabat amore.
In ſenio ecce potens animi ſic robore, vitæ
Ad centum uſque decem tacitos protraxerat annos.
Ocyor illa tamen vento quæ ſtamina vitæ
Atropos enſe virûm reſecat, ſic ipſa ſororis
Jam Lacheſis fecit longum tunc ſiſtere filum.
En morior, dixit, vobis mea funera frater
Fratribus hinc mando: current nova tempora: tandem
Vos Deus à Solio placidus dum viſitet alto
In patrias remeare dabunt tunc numina terras.
Ferte, nec hic maneant, cauti mea corpora dignos

In

In tumulos Chanaan, Chanaan me digna ſepulto.
Dixit: & ad veterûm numerum ſepoſtus avorum
Ille fuit, fratrum rabie qui inviſus amara:
Venditus ille fuit pretio qui Juſtus iniquo:
Ille fuit, Pharias profugus qui primus in oras:
Qui fuit ille nigrum quondam detruſus in antrum:
Qui dominæ ille auſum cupiens vitare procacem,
Tegmina caſta fuga liquit de crimine teſtes:
Præſcius ille famis ſacro qui carmine acerbam
Præcinuit cladem: pariter qui ſomnia regi
Diſſolvit Vates: qui tot quia grandia fecit,
Obtinuit Phariæ Pro-Rex nova munera gentis:

Qui Dominus, Famulus, Princeps, Servusq̄ fidelis:
Qui Inviſus, Vinctus, Caſtus, Venundatus, Emptus,
Qui Vates, Profugus, Juſtus: qui in pace quievit.

PRODIGO AVARA

NEMPE

HISTORICO=EVANGELICÆ

PARABOLÆ.

Super utroque,

SCILICET,

PRODIGO FILIO,

ET DIVITE AVARO

EXPOSITIO.

Metrico-Latina methodo ab eodem Authore diſpoſita.

***

PRODIGUS FILIUS APUT LUCAM
cap. 15.

LAurigeræ Muſæ: non quas Heliconia quondam
Gutta deas fecit, numina ficta chori:
Haud mea, vos profert nunc numina, muſa ſorores,
Quas numerus falſò computat uſque novem.
Laurigeræ Muſæ (valeant mendacia vatum
Quæ ſibi Pierides, Caſtalidesque vocant.)
Laurigeræ Muſæ Triadis quas numine poſco,
Quæ in natura unum, turba ſacrata mihi.
Tres voco, vel ter vos per munera terna requiro:
Ducite nunc habiles in mea verba modos
Prodiga dum canitur modulamine transfuga proles
Carminibus ferte prodiga dona meis.

POſtquam res Patris multum per viſcera mitis
Jam dederant mentis pignora digna ſuæ:
Quando ope naturæ ſobolem geminaverat unam,
Fortunisque domum, divitijsque ſuis.
Dum ſic flava Ceres, donis cum fœnore penſis,

Provida, cultoris horrea magna replet:
Tunc pateris Bacchus propinans vina falernis,
Et cyathos omnes, cunctaque vaſa gravat.
Divitis hinc Patris manant cellaria muſto
Plenaque frumento meſſis ubique placet.
Sic ibi Ariſtæus lac, mellaque dulcia monſtrat,
Ubere dans primum, mellaque pura favo.
Sic crocei ſic auri pondus ſcrinia complet:
Et Pluto argentum, munera multa parat.
¿Quid ſibi avara volunt tantarum pondera rerum?
¿Argenti cenſus, congeriesque domo?
¿Pinguia quid proſunt? ¿Oleum, vel Palladis arbos?
¿Exhilarans humor, vitiferum ve nemus?
Nil fortuna juvat nummos ni eduxeris extra,
Ad ſobolemque penus poſthumus adveniat.
Et gaza & genitor ſibimet ſe vertit uterque:
Alterius ſemper mutuus alter erit.
Filius atque hæres crebro ſunt unus & idem,
Ne patrias unquam diſſipet alter opes.
En ſteriles ducunt vitam ſine germine patres,
Atque penu patrium ſic ſine prole jacet.
Irrita marceſcunt ſine doctis arva colonis:
Abſque legente manu putrida mala cadent.
Venerat huc juvenis viridi formoſior ævo,
Ornabat faciem cui puerile decor.
Cui natura tulitque ſuas vel prodiga partes,
Quas puer ingenio comprobat ipſe ſuo.

Vix

Vix ætate decem molles geminaverat annos
Vix tunc lanugo barba ve prima data eſt.
Haud aliter quam qui validum fortemque referret,
Ad patrem imberbis turgida verba dabat.
Da mihi chirographum, cartam da, trade libellum:
Quæ me contingit portio firma cadat.
Quam primum natura dedit ne demito partem,
Hoc mihi fas donat, quod mihi jura ſinunt.
¿Quid faceret genitor? genitor quid dicere neſcit.
Eſt ſibi ſufficiens qui ſibi magna petit.
Magna, puer poſcis, quæ non dum viribus iſtis,
Nec teneræ ætati munera conveniunt.
Quid Phaethon tentas currus agitare paternos
Vix eſt ad lorum quantulacumque manus.
Non foret Hippolytus triſtis tranſvectus ad orcum,
Fræno ſi valido ducere poſſet equos.
Vana relinquantur, ſtat dum natura magiſtra:
Verum vera docet: neſcia fraudis erit.
Dedala natura en pergit ſemper pedetentim,
Tarda miniſterium complet ubique ſuum.
Quotidie arbuſtum per campos cernis adultum
Quomodo ſic creſcat, vel latet ecce modus
Eſt prior ad ſe, quam ſit tum genitoris ad extra
Ad genitum virtus, quæ generat ſobolem.
Atq̄ acidum pomum linguam dentemq̄ momordit:
Sed coctus fructu: tempore, dulcis erit.

Tunc

TUnc pollens pietate parens, pietate dolensque,
Ad patulas arcas convolat abſque mora.
En quod amas, puer, exoptas quod pectore totus,
Quem fortunarum ſedulus ardor habet.
Si implacata fames auri tua pectora nutrit,
Fas eſt jam cumules corda, oculosque, manus.
Protinus in partem gnatis ex ordine junctis
Divitias illis dividit & genitor.
Accipe quam partem te dicis avere ſecundam
Ultra quod faciam jam nihil ecce manet.
Te mea vis hominem, ditem mea copia fecit
Non ſemel hoc facto diceris eſſe meus.

SUM tibi bis genitor: bis te mea viſcera tractant.
Officium patris multotiesque gero.
Ah! quantum vereor, quod nunc male ſana voluptas
Detrahat in præceps & bona, teque, tua.
Ergo nunc monitis fili mi crede parentis,
Ut genitor poſſim ſæpius eſſe tuus.
Nummi ne elatus gaude te credere cœlo
Pondere, namque ipſum quod levat, inde premit.
Si licet in veris figmentis grandibus uti,
Icarus hanc faciem, cum cadit, ille tenet.
¿Pluma quid levius? ¿Quid & auro in pondere majus?
Sic, ſic divitiæ munus utrumque ferunt.
Non ſolus graditur qui argento preſſus & auro it,
Nam comites multos undique luxus habet.

Tu cave lenonum ne ſuſcipe blandimenta:
Expilant corpus, decipiuntque animum.
Jusque ſodalitij cum pellice turpe repelle,
Eſt quæ fucatis fallere docta dolis.
Sic ſocios imitere vide ne incautus Ulyſſis
(Ne ſim pertimeo nunc tibi fatidicus.)
Quos vultu Circe fertur vel corpore porcos
Mutaſſe, & pariter corpore ſetigeros.
Fallaces quoque tu cantus elude ſagaces
Sirenis: quæ aſtus ſubdola ſemper agit,
Jam molli cera fac ſic ut fecit Ulyſſes:
Pellere ſi aſtutus mollia verba velis.
¿Quid referam cumulata dapum convivia, menſas?
Hæc peram rodunt non ſemel & loculos.
Sic moderati animas recreant ſic corpora ludi:
Si modus abfuerit ſeria cuncta ruent.
Non tibi ſit pretio ſonipes, non Thracius albas
Qui maculas variat, non faleratus equus.
Nunquam ſenſatus, nullus cordatus equeſter:
Si indomitus dominus, ut quid equus domitus?
Saltatrix agitat numeroſo corpora motu
Dumque manus torquet, complicar illa pedes.
Et Choreas agit, & grata eſt formoſa puella,
Saltibus aſt medijs Rex homicida fuit.
¿Plura quid exemplis tibi quid mandata dabuntur?
Et mens & ratio cetera cuncta vident:
Eſt doctas arteis tua recte inſtructa juventa:

Nil

Nil patris ad munus defuit uſque mihi.
Alloquor extremum triſtis pietate parentis:
Ex hoc jam ſalve: vade puerque vale.
Dixit: & ad geminam converſus pectora prolem,
Per mœſtos reddit talia verba modos.
Abs me diviſi vultis mea viſcera ſcindi!
Per partes pectus tollit uterque ſuas.
¿Numquid me, geniti, me me linquetis, & ambo?
¿Num ſobolem duplicem diripit una dies?
Ne totus peream, pars ſit ſervata parenti:
Quæ major fuerit juſtior illa venit.

NON dum verba pius ſenio maturus & ævo
Perfecit genitor, conſiliumque grave,
Jamque puer pietate carens, & amore parentis,
Divitijs pectus non pia corda dabat.
Vexabat ſævis ſtimulus præcordia curis:
Eſſe mala incipiunt quæ bona multa ſibi.
Congeriem nummi multam, cumulabat acervos,
Neque crumena ſatis qua caperentur erat.
Nunc & avarus agit, poſthac quod prodigus ipſe:
Nunc cumulat toto pectore divitias.
Unaq̃ cum cauſa eſt; factum tamen implicat ipſum:
Nunc metit ut ſervet; poſtea dejiciat.
Congregat incautus, neſcit quod congerit aurum:
Contrahit, heu! ſentes dum ferit ille roſas.
Lancinat ecce animam, puer, en præcordia plectit,
Copia

Copia, & ô utinam tempore pœniteas.
Divitis at juvenis totam celebrata per urbem
Fama volat; multos ad ſua vota trahit.
Ah quam formoſus quam nobilis ille tenetur!
Major quam fuerat protinus ille fuit.
Eſt aliquid, Juvenis tantis comitatus amicis,
Turbaque quæ eſt cingens ambicioſa latus.
Cernere & eſt, paraſitos illic cernere viles
Aſſentatores mellea verba dare.
Nil loquitur ſtupidus quod non plaudatur acumen:
Quot garrit nugas, docta tot ille refert.
Accipit & primus referentia verba ſalutem,
Et bona mane dies ſole micante datur.
Aſt rudis ignorat, non hæc ſibi danda, ſed auro.
Numina, non qui aurat; qui colit ille facit.
Tempora perquiritque locum, quo laxet habenas,
Et quocumque velit curſitet ingenium.
Ceu liquidus pluviæ, claudunt quem corpora terræ,
Humor, quem nutrit viſceribusque ſuis:
A Solis radijs rurſus revocatus in auras
Alta petitque celer, ſi gravitate caret.
Igneus ille vapor, Phœbi quem ſuſcitat ignis,
It motu: & generat concita flamma rogum.
Hæc facit ille levis motus tunc cauſa caloris,
Vulcanum gignens, damnaque multa parans.
Interius concluſa rubens ſcintilla pererrat,
Obicis extremi corpora cuncta quatit.

Tunc fremitu horriſono torquentes fulmina nimbi
Cuncta replent ſtrepitu, plena pavore rigent.
Ignea luxuries agitabat corda puelli,
Per teneros artus ejaculata furens.
Iliaque igneſcunt urentibus excita flammis,
Pectora torrentur valde cremata focis.
Huc illud diſcurrit edax jam tota per intus
Flammea vis, quærens impetuoſa vias.
Janua tentatur: renuit præſentia patris
Semita vix illi protinus apta venit.
¿Quæ faciet juvenis? ¿quæ non tentata relinquet?
Ad veneris ſtudium qui ingenioſus erat.
Jam ſcio quid faciam (dixit) fraus omnia vincit:
Aſtus ſubveniet calliditasque mihi.
Fraudibus eludam facies oculosque parentis
Neu pater obſiſtat, nulla erit uſque mora.
Segnis ab aure venit mœror delapſus ad oſſa:
Dicitur à viſu promptior ire dolor.
Non oculis cernat genitor, licet audiat ipſe
Ante ſonum tardum mors cita forte venit.
Disjunctas exquiram ultra jamque exterus oras:
Diſsitus à patria carior ille locus.
Ergo Lares patrij, focus atque, domusque valete:
Longior ad pœnam, ſi moror, hora mihi.
Quam grave ponduserit mea portans omnia mecum,
Pondere tam promptus, non modo tardus, ero.
Dixerat: atque fugam (nam ſic valet illa vocari)

Viri-

Viribus impatiens omnibus exequitur.

VIX ſuper Oceanum croceos Aurora, cubile
Tithoni linquens, alta ciebat equos.
Nec Sol eois exurgens clarus ab undis
Lumina fundebat quà maris unda fluit.
Nondum alata cohors, concentibus æthera complens,
Vocibus alternis nuncia verba dabat.
Jam ſtabulum Taurus detrectans undique ſeptum,
Vinclorum nodos ſolverat implicitos.
Ille per arva petens ſævus, per rura, per agros,
Omnino incertus quà trahit unde vias.
Præruptos modo montes, & modo culmina collis
Circuit in gyro, vel nemus aut latebras.
Cunctaque perluſtrans ſemper per cornua dirus
Indomitusque boat, non docilisque fremit.
Sic & ubique ferox, it jam ſine lege juvencus,
Perque nefas feriens, per ſcelus omne furens.
Et ager, & collis metuunt, pavidusque colonus:
Cædes formidant jugera, terra ſolum.
Quæ nitidæ ſurgunt fruges non ungula ſæva
Præterit, aut parcit vel ſegeti ira tumens.
Exequitur crebras fœdus ſine vindice noxas:
Omnia turpantur: Fœmina, fama, domus.
Juſtum tranſgreditur pravus temerator, & æquum,
Et nullum pratum præterit impietas.
Calce terit leges, mandataque proterit arcta

Et nihil haud tentat, dum cupit eſſe ſalax.
Perfidus eſt juris ſacri contemptor, honeſti
Qui ſenſus ſequitur turpia juſſa procus.
Haud Divûm cultor, non numina ſancta veretur,
Nec pretio eſt illi relligioſus amor.
Juſſa dabunt Superi: juſſa ad Neptunia Glaucus,
Promptus ad obſequium, ſtat celer imperio.
Qui non præceptis, nec lege tenetur ab ulla
Vel quid ſit dicas, aut erit ille Deus.
Et ſaxa & lapides, & muta animalia norunt
Ductum naturæ, imperiumque grave.
Omnia naturæ, ſubjectaque legibus ibunt,
Circuit ut clauſis finibus arva lapis.
Ponderis arbitrio cedunt cum ſaxa trahuntur
Montibus è ſummis vallis ad ima loca.
Sic avis atque pecus coitus cum munia tractat,
Cum prolem generat, cum ſobolemque parit.
Sic, duce natura, cenſet tria tempora cantus
Quæ præco Auroræ eſt, nuncia lucis avis.
Vim ſic nativam ſervant volucreſque feræque,
Illius & brutum ducitur arbitrio.
Terrigena infelix cum ſit ratione potenti
Præditus: en geritur ceu ratione carens.
Doctius hoc animal, mentis quoque dignius altæ,
Eſt ratione potis, conſilioque valens.
Attamen & crebro fit pro ratione voluntas
Liber; at incautè ſic regit arbitrium.

Mens

Mens ſenſu capitur; mentis non lumine ſenſus:
In dominam ſervus perfida jura gerit.
In caſſum natura ſuas dat robore leges
Si ſteriles campos vomer aduncus agit.
Concipit humano mens pravas pectore noxas,
In jus cœleſtum multa nefanda parit.
Diſcutit & lentas vel equus diſrumpit habenas,
Nec hominum legi paret & indomitus.
Non ratio ipſa ſibi docta eſt nec more, vel uſu,
Æqui eſt cognoſcens experiensque parum.
¿Ecquis Io tantis partus de montibus extra?
Qualis hic eſt uterus, tale puerperium.
Monſtrum trux, ſævum, cui quot ſunt pectoris æſtus,
Tot capitum, ſcelerum complicat & ſpecies.
Forte Meduſæos torquens pro crinibus angues
Seu foret illud Hydrus, Gorgoneum ve caput.
Vel crudelis erat ſeptemplex bellua Lernæ:
Sanguinea manans peſte colubrifera.
Plus quam terra ferax hominis cor, velle, voluntas,
Heu! quantos fervens evovit iſta rogos.
Uritur invidia, flagratque in pectore livor:
Guſtus edit pejor qui meliora labris.
Egerit & fatuos mendax dum pejerat ignes,
Quantumvis dictis non ſit habenda fides.
Forte prius campi ſegetes numerabis ariſtas,
Quasve ſalum guttas, quas jacit imber aquas.
Quot cœlum ſtellas, radios quod mittit eous,

Quot

Quot tribuit laſſis ſomnia grata quies:
Forte prius cuncta hæc cumulo concludere poſsis,
Quam quot luxuries concitat igne faces.
Cuncta jacent flammis ſurgit cum fervida bilis,
Quo magis illa bibit ſanguinis, illa ſitit.

HÆC laxi mores ſenſus lex ignea flammis,
Hæc juveni effreno perfida jura dabant.
Sic tam dives erat plauſu ventoque ſuperbus,
Integra quod pompam nec domus acciperet.
Omnia complerat: fixam reſtabat ad intus
Faſtu ut firmaret, vel gravitate domum.
Non dum erat ornatus, non dum pretioſa ſupellex,
Nullaque ſervorum turba vel intus erat.
Non celer obſequio ſervans mandata miniſter,
Vernaque vix ullus qui officioſus adhuc.
Haud vigil ancilla eſt mollem quæ ſternere lectum,
Ac valeat gratum thus adolere toro.
¿Quid tamen Obryzum, quid ſtips non præſtat, & aurũ?
Heraclium ſaxum eſt omnia magna trahens.
Nec mora: qui novus apparet veluti incola terræ,
De cunctis dextras accipit hoſpitibus.
Plurima certatim per tectum dona ruebant,
Atque ſuper ſtratum munera multa pluunt.
Ampla domus faciles ipſi ſociabat amicos
Plenaque concurſu porticus ecce patet.
Jam graditur faſtu: quando pompaticus exit
Ince-

Inceſſu tumido compita lata replet.
Primus ad inſtructis ſemper convivia mappis
Nunquam cunctatus, quando vocatus, abit.
Ad ſpectacula non tardus nec ultimus ibat,
Geſticulatores qui celebraret, erat.
Sic agilem curſu primum qui agitabat & equum,
Corporis ad doctus pondere terga premit.
Vel nemus omne ſubit, ſylveſtria tecta Dianæ,
Seu leporem pavidum, ſeu capit ille feras.
Cum ſequitur velox truculentum dentibus aprum,
Sunt Damæ imbelles quam ſibi præda levis.
Eſt pedibus celeres, nutrireque naribus acres
Ipſi in delicijs, atque parare canes.
Aſt miſer Actæon carnes qui canibus aptas,
Inſpice ne cupiant mandere forte tuas.
Ipſe tuas abſumis opes, tua pinguia perdis:
Te te ipſum comedis: ſic tua cuncta voras.
Pejus adeſt damnum, multoque voracius illo,
Quo potiora cadunt, nobiliora ruunt.
Altera erit cauſa, ipſaque ſemper edacior ultra.
Exedit ardenti quæ intima corda lue.
Abſit commentum, valeant mendacia: falſis
Non ſumus aſſueti jungere vera dolis.
Caſtris de noſtris deſit Cytehereia proles:
Figmentum velox eſt puer ille levis.
Ille Cupido volans non mas; ſed fœmina vera eſt:
Ille Cupido abſit: dira cupido venit.

Jam

Jam juvenis poſtes pertingit & hoſtia pulſat
Parvula, ſed vultu pulchra puella nimis.
Illa genitricis ſolers mandata ferebat,
Grata miniſterio, promptaque ad obſequium.
Hæc, mea te mater quæ diligit, omnia mittit:
Accipe quod donum jam tibi pulchra refert.
Dixit & ut roſea vultum dulcedine mulſit,
Florigerum calathum compta puella dabat.
Intus quæ cludat aperi, cognoſce caniſtrum:
Cordibus humanis, ciſtula plena roſis.
Tum faretram geſtat confertam pœne ſagittis,
Auratis penetrant ilia cuſpidibus.
Corda, roſas, telum, cuncta hæc cum ciſta recludat,
Munera mittentis dulcia ſunt dominæ.
Cordibus in fixos calamos en lumina fixit
Non cautus Juvenis: corda repente trahunt.
¿Veris falſa loquor, falſisve ſimillima vera?
¿An pariter mendax, veridicusque legor?
¿Quid ſibi vult parva, & quid, quæres, pulchra puella
Ut verum vero conferat ingenium?
Delectatio ſenſus dicitur ipſa *moroſa*
Hoc nomen proprium turpiter illa tenet.
Eſt vultum nivea geſtans albedine pulchrum,
Quòd placeat facies, alliciatque ſua.
Parva puella venit, corpus quia creſcit adhuc, &
Incrementa illi tempora ſponte dabunt.
Et genitricem habet: eſt vere quoque filia matris:
Ar-

Artibus ejuſdem perfida nata vacat.
Concipit hanc prolem diro, ceu, fœmina, ventre
Peccati *fomes*: concipienſque parit.
Aſt cum ſic nequam genitrix conceperit illa
Peccatum pariens, ipſa obitum generat.
Liberum ad arbitrium, vel mentem nuncia fallax
Mandatum matris fertque refertque ſuæ.
Nuncia Junonis non Iris promptior illa,
Ut ſtimulet Rutuli pectora acerva viri.
Corda puer novit Veneris jam gratus alumnus:
Ah! quantum effingunt, inquit, & iſta meum.
Molle cor ante mihi transfixit Cypria telis:
Hæc modo tela novo vulnere pectus agunt.
Aurato fulgent candenti haſtilia ferro:
Stent auri pretio, ſi grave vulnus eat.
Eſt luxus juveni fulvo vel gratior auro:
Aurum ſtet nihilo; ſtent modo delitiæ.
Jam foret hoc minimum juſto concedere lecto,
Quod licitum faceret legibus inde torus.
Aſt ſunt divitiæ, ſpargit quas pectus amantis
Amentis mucro quem regit ille manu.
Et ſtetit unda fluens, ſeptum quam fortius ambit,
Et vallum firmum pondera frænat aquis.
Non ruit in præceps nimbus dum viribus æther
Aut fulcris obſtet, aut patiatur onus.
Deme ligamen agens, ſuſtentans ſaxea ſurſum,
Et lapis ad nutum tendit ad ima gravis.

Haud pueri cordata tenet ſententia mentem;
Bacchatur demens, & furit undelibet.
Qua dictat ſenſus; non qua ratio exigit, errat,
Conſilij nuſquam ſcivit habere modum.
Sicque foraminibus fundit veluti urceus undas,
Ut cœlum pluvias, ut pluit imber aquas.
Pulcher ephebus opes hilarus ſic diſſipat omnes,
Et ſine ſenſu amens, & ſine mente procus.
Haud aliter veſtes furibundus ſcindit Oreſtes:
Hic manibus nummos dilapidatque ſuis.
Exſugit liquidos ſuccos dum perfida pellex,
Infami & quæſtu fallit amica, dolis.
Lymphatus juvenis ſocors ſic prodigit aurum
Turgida ut ex vena profluit unda rubens.
Heu quantam ſylvam modica hæc ſcintilla perurens
Incendit! Flammas evomit uſque magis.
Has tantùm clades, valuit conferre ruinas
Ciſtula, quam donis parva puella tulit.
O utinam Pylades noſtrum ſociaſſet Oreſtem,
Auxilium fidum, conſiliumque foret.
Theſauri cumulus charus tunc nactus amicus
Nec demens eſſet, cum furioſus erat.

LAurigeræ Muſæ, quæ nos geſtaſtis euntes,
Ducite adhuc comites carmina, numen, iter.
Jam nova nunc noſtro canimus dum carmine fertur
Heros conſumptor, quem nova vota trahunt.

Cor-

Cornua Tauri tunc anni contorſerat ætas
Ceſſerat è cœlo fervida ſtella Canis.
Non riſus & ager lætos quos reddere geſtit,
Oſtendit vultu, cum viret herba recens.
Non aures mulcet cantu Philomela ſub umbris,
Nec quæ multiloquo gutture vernat avis.
Haud ſoboles laſciva gregis percurrere gaudens
Aſſolet in pratis, luxuriat ve pecus.
Torrida non æſtus jaculatur ſæva priores
Zonaque non terras ut prius igne cremat.
Omnia nunc algent, gelido jam tempore frigent,
Carnea mollities tota per oſſa tremit.
Ruraque triſtantur brumali ſydere, terras
Stringit, & arva gelu: turbida ſevit hyems.
Corpora ceu dura frigeſcunt blanda ſenecta
Ambo pares currunt cum ſeniore puer.
Hæc ſimul efficiunt in corpore bruma vel ætas,
Effectumque unum cauſa parit gemina.
Tempora ſic fugiunt, homines variantur & ipſis:
Uſque huc ſunt ab heri diſſimilesque ſui.
Omnia ſub celeri currunt fatalia motu,
Vadunt alternæ ſic redeuntque vices.
Cynthius & vultus haud ſemper promit eoſdem,
Mane venit lætus, veſpere triſtis abit.
Eſt Corydon juvenis; ſed non ſectator Alexis,
Caſibus alternis idem & alter erat.
Fortuna adverſa factus qui ex divite pauper,

Nuper erat Cræſus; qui tamen Hyrus adeſt.
Non foret ille, Solon, triſtis ſi crederet, & te
Sectatus, quando conſiliator eras.
O genitor, genitorque, meum mea fata Solonem
Te credunt, quando me miſerum eſſe ſcio.
Tempora mutantur, mutarunt tempora mores.
Qui ardens currebat; frigidus ecce jacet.
Sordida non caris paupertas conſtat amicis,
Tectis anguſtis ſunt ſine luce foci.
Ille ego qui quondam gemmis opulentus & auro
Cum mea cuncta dedi; nunc aliena rogo.
Sic fatur lacrymans juvenis male ductus: at ipſe
Non rectam ad mentem forte reverſus adhuc.
Deficiunt nummi meretrix ſcelerata recedit,
Et gaza & pellex deficit illa prior.
Deſerit omnino Veneris vix caſtra puellus:
Deficit effectus; deinde amor ipſe manet.
Extemplo accedit: ſeroque abſcedit abuſus:
Non propere morbus, ceu malus hoſpes, abit.
Objecta & crebro; non ſemper crimina deſunt:
Noxaque abeſſe ſolet; non ſceleratus abeſt.
Tibia non Phrygiæ eſt: cuncta extat fiſtula rauca:
In promptu cauſa eſt: vitibus ipſa caret.
Materie quam ſæpe vacat; non pectore ſenſus:
Dum non ſunt rivi plus ſitiuntur aquæ.
Heu! multi nequam patrare piacula linquunt,
Qui removent labes, dum removentur eæ.

Quid

Quid peccet deſit; non qui peccare peroptet:
Jam vitio eſt pejor qui vitioſus erat.
Prædonem impavidus ridet ſine veſte viator,
Non quia tentat iter; ſed quia nudus agit.
Quæ vacuata domus claudit non limina portæ,
Vectibus aut validis obſtruit illa ſera.
Haud malus eſt ſemper pravus qui ſemper ad intus,
Exteriusque latent, quæ interiora flagrant.
Æſtuat æternas Ætnæus pectore flammas
Nec tamen aſſiduas evomit ore faces.
Sollicitusque petit mercator tempora lucri;
Non apta ad quæſtus omnia tempus habet:
Indigus & turpis juvenis ſic turpia vitat:
Quodque probat factis, arbitrio ipſe negat.
Juſtum multoties rectumque operatur iniquus,
Atque manens pravus; quod facit ecce probum eſt.
Hæc agit invitus, nunquam vel recta lubenter:
Cum facit ille bonum non ſinit eſſe malus.
Quæ in juſto virtus in pravis geſſit egeſtas:
Vitat uterque malum; non at uterque bonus.
Ut gemina facie replicant mendacia vultus
Panditur una foris, alteraque intus adeſt.
Cum ſemel ac mores, deturpant crimina mentes,
Unum pro multis ſemina multa parit.
Inflexos orbes torquet dum mergitur undis
Calculus, & plures ſic prior inde facit.
Dexter pauperiem generavit prodiga duram

Indiga paupertas ſubdola corda creat.
¿Quæ non conceptu pravum cor gignit iniquo?
¿Quis ve referre, latent quæque aconita, valet?
Pyxis cor pravum Pandoræ buxea fingit,
Egerit è gremio quæ genus omne mali.
Tot animo eventus cæco ſibi pectore volvit,
Quot ſimul imprudens excutit ore dolos.
Turpiter in prædas nunc huc, nunc curſitat illuc,
Parteisque in cunctas ceu populator abit.
Furtaque pejori tentat temerarius auſu,
Caſta maritati tollere jura thori.
Tum per luxuries percurrit mente ſolutas,
In partesque omnes pectora agit varia.
Tum crebras cædes, ſævo quas funere tentat,
Seu rabies generat, ſeu violenta facit.
Mordicus egreditur nugax teſtatio falſa,
Aut dente, aut lingua, aut ſimul ore fremens.
Impia, quæ irritat ſacros blaſphemia divos,
Funditur in magnum, conterit ipſa Deum.
Cuncta hæc è ſtomacho naſcuntur turpia turpi,
Erumpunt ſæpe, & ſæpius inde foras.
Hæcque coinquinat ipſa viros tot turba malorum:
Hæc ſunt abs dubio quæ maculant homines.

JAM Pater omnipotens teretem qui continet orbẽ,
Et digitis cohibet fortiter ille tribus.
Qui legem ponebat aquis, ne è finibus olim
Tran-

Tranſiliant alio, ſtetque vel unda fluens.
Clavibus expanſas fauces claudebat abyſſi,
Quæ largis lymphis frugibus arva replent.
Arida jam terræ ſitiebant guttura nimbos,
Suntque illi in voto Deucalionis aquæ.
Non liquida roris gutta jam gramina campi,
Nec pluvia, ut quondam, ſicca madeſcit humus
Haud latices rivi conſpergunt rura priores
Ora aperit fervens, duraque terra ſiti.
Horrida per campos pallent abſynthia latos:
Hos vix & fructus marcida terra dabat.
Hamatas ſpinas, emittunt jugera, ſentes,
Sanguineos fœtus colligit unde manus.
Quæque prius fructus, tellus pendebat ariſtas:
Horrea frumento, meſſeque cuncta vacant.
Ruſticus in ſylvis carpit nec ruſtica poma,
Malaque tunc arbos non ſua quæque tulit.
Opilio quernas vix ſumit ab Ilice glandes,
Tollit & ad tempus vel faba nulla famem.
Hoſpita jam propere non findit littora puppis,
Mercibus atque carent compita lata foro.
Non aurũ in pretio eſt, nã nil quod pondere & auro eſt,
Vel permutetur: inſtitor omnis abeſt.
Eſt dives lance æqua jam cum paupere verſans,
Ad Cereris valvas oſtia pulſat egens.
Quid faciat Juvenis, vel quo ſe vertere neſcit:
Una ſpes cunctæ procubuere die.

Non

Non morulas patitur, furit ardor dirus edendi,
Haud valet atque fames ulteriora pati.
Et ſervilia munia, tunc quoque vilia tentat,
Proque cibo vili jam potiora dabit.
Adhærere uni, ut famulus regionis, & ille
Cogitat, ut pauper pellat ab ore famem.
Pro pane & dapibus tradit ſua corpora ſervus,
Heu miſerum & quantis viluit ille malis!
Siſte viator iter, nam poſt majora videbis,
Cum dederit juveni poſtera menſa cibos.
Improba lex ventris viles perferre labores,
Indoctum à puero, vel docet aſper herus.
Vel puer ex titulis multum memoratus avorum,
Cui lautas dederat providà cœna dapes.
Jam ſcutella una, turpis ceu verna lupinos
Cum famulis fœdus ſpurcior ipſe vorat.
Ut repleant tantum cura eſtque legumina ventrem:
Non ſapor in pretio eſt; ſed cibus ipſe placet.
Nec qualis victus: quantus ſit gutture quærit
Inſaturata fames, ſeu rabida ingluvies.
Exuit & veteres uſus, ac tempore mores,
Atque dapes turpes ruſtica corda creant.
Priſtinus ille decor, generoſaque pectora deſunt,
Indolis ingenium, quod fuit ante, ruit.
Inſuetus ſtatus illum, quem nunc fata tulerunt,
Mutavit miſera conditione gradum.
Haud puer ingenuus ſic eſt veluti ante ſolebat,

Illa

Illa animi virtus priſtina, candor abeſt.
Et fateor facere hoc eſcas; ſed & altera origo eſt
Uſus convictus quem puer ipſe trahit.
Servus conſervis vilis cum vilia tractat,
Dedecori eſt illi turpe miniſterium.
Qualibus iſte vacat, mentemque intendit amicis,
Talibus en ſtudijs quisque docendus erat.
Sæpius exemplar pravum pertraxit, & ipſum
Quo plus perverſum, plus probitate movet.
Mens quoque recta ruit, nequam ſociata ſodali:
Pravus deterior: fit malus inde probus.
Conſpice virgultum teneris quod naſcitur hortis,
Quam, cultu agricolæ, dulcia poma ferat.
Si tamen in ſylvæ durum tranſponere ſaltum
Tentat, & ut tribuat ſquallida terra ſolum.
Et frondem & fructus extemplo mittit acervos:
Hæc faciunt ſentes, aſperitasque loci.
Qui ſtudet in Geticos ſedem tranſmittere campos,
Et Getice addiſcit Barbariceque loqui.
Squallida cum ſcurris comitatus ſcommata jactat,
Garrulaque effutit, ludicra verba fori.
Has collega puer doctas concurſat Athenas:
Nec de gymnaſijs erubuere genæ.
Aſt foret hoc forſan juveni tolerabile probrum,
Quem premit adverſis ſors inimica malis.
Cum miſerum caſus triſtes crudeliter inſtant,
Haud venit in puppim mitior aura ſuam.

Æquora Neptunus turbat dum concita ventis
Durior extrema eſt, quam fuit unda prior.
Servi implere vicesque, jugum perferre moleſtũ eſt:
Aſt rigidi imperium durius extat heri.
Eſt nihil heu! puero claris natalibus orto
Illum præclarum jam genuiſſe patrem.
Inclita, non generis tituli, non ſtemmata proſunt,
Neque fuiſſe ſemel nobilitate potem.
In Cereris, Martis cultros curveſcere falces
Vidimus obtuſas, quæ prius enſis erant.
Quodque prius ferrum fauces jugulabat acutum,
Nunc teneras herbas gramina blanda ſecat.
Quæ fuerant quondam grandis geſtamina regis
Sceptra, decus dextræ, ſeu gravitatis honos,
Ruſtica nunc terræ ſulcis vertencia glebas
Jam ſubeunt Tauri duraque aratra boves.
Illa manus croceo dudùm nutrita cubili
Amplexata fuit ſtercora fœda, fimum.
I puer, in villam, quo te fors aſpera ducit,
In villa invenies vile miniſterium.
I puer, in villam dominus quò mittit acerbus:
Cerne quid aſperius: ¿Officium an dominus?
Victima & heu miſerum! ſic ſic mactaris ad aram!
Hæc non altare eſt: eſt lutulenter hara.
Si libet ales Hara hæc tibi fato venit haruſpex,
Dum mandata Parens conſiliumque dedit.
Vitares, (exempla dabat Circæus) amantes,

Mu-

Mutari in formas qui ſubiere novas.
Sic puer infelix jam nunc nova tempora noris,
Quando procus fueras: ſed modo porcus eris.
Si tamen iſtud erit tibi, non tibi tempora mores
Mutarunt veteres, ſi modo tempus idem.
Jam dudum ſpurcos Juvenis paſcebat & ignes:
Paſcit nunc Porcos: eſt modo tempus idem.
Quamvis materies mutetur; convenit iſta
Cum prima, & tempus jungit utramque ſibi.
Tempora concordant, conjungunt tempora partes,
Officium, munus, turpe miniſterium.
Ergo dum non ſunt mutantia tempora munus,
Non variat mores quod modo tempus idem.
Per quæ quis peccat ſemper torquetur: & ipſum
Nunc genus eſt pœnæ, quod fuit ante mali.
Sævaq̃ dextra perit, quæ auſa eſt abſcindere dextrã,
Debeat ut ſciſſæ ſolvere damna manus.
Cum plectit, pœnasque petit Rhamnuſia diras,
Cum Nemeſis culpæ ſupplicium ſtatuit.
Talio, lex æqui tunc crimina ſancta retaxans,
Cuique ſuum culpæ diſtribuit meritum.
Jam venit in villam pecualem ut conferat artem,
Porcinos mores qui bene doctus erat.
Tunc collega novus de pellibus inde ſuinis
Setigeram trabeam, pelliceamque refert.
Ergo ante ille ſues in publicum exit ad horam,
Setoſi pecoris quando magiſter abit.

Ecce ſuperbus erat, tumidus nova munia faſtu:
Oſtentans populo: ſtemmata digna ferens.
Tetricus excedit ductor gravitate Catones,
Pompa regit greſſus ambitioſa ſuos.
Ut minet ille gregem, ſapiens ceu munere Rector,
Exornat doctam ſcutica prompta manum.
Grunnitus valeatque ſuum ut ſic ducere cantus,
E lumbis pendet cornea cincta chelys.
Hoſpite de ignoto murmur vix contigit aures,
Cum Concollegis cetera turba ruit.
Sic ſperant ſortem cunctique tenere ſecundam,
Ut qui cunctorum nobilitaret opus.
Omnes gratantur ſolemnia gaudia miſcent,
Cuncti lætitiæ dant quoque verba ſuæ.
Et dantur dextræ, comites tunc dantur amici:
Propter & adventum grandia muſta litant.
Quaſi ſibi lætus cætus ſalit ipſe ſuillus,
Dum conformati conſpicit ora ducis.
Aſt quicumque legis, qui candida pectora nutris,
Quid puerile animus cogitet ipſe cave.
Eſte proculque ſales, arisque abſcedite noſtris,
Abſit de ſacris verba jocoſa loqui.
Pellibus impexus, nudoque ſimillimus olim
Prodigo homo primus: Protoque plaſtus erat.
Qui cenſum cœleſte, ſimul prodegit & ipſe:
Heu quantos maculat prodiga luxuries!
Sæpe feritque jocis illum Sarcaſmos amaris:

Sic

Sic tractandus erit qui ut Deus eſſe velit.
Quaſi uno ex divis per luſum dantur honores,
Quos ſi ambire libet; non decor iſte licet.
Prodigus Adamo ſimilis: ſic pergit uterque:
Paſſu & uterque pari ludificandus abit.

NON dum lux aderat, calidos non Delius ignes
Fuderat è ſummis, edideratque palam.
Vix Aurora ſuos fingebat flava colores,
Queis primum inflexo reddit ab axe diem:
Tunc lutulenta ſimul conſurgens turba procaci
Grunnitu exclamat, pabula fœda petens.
Vix intra ſeptum vult ſe retinere ſuinum
Cænoſum vulgus, fœtaque Porca tumens.
Irruit in portas, portarum limina pandit
Ductor, & ad paſtus dirigit ille pecus.
Jamque ſuina cohors fundit ſe tota per agros,
Et terræ patulus viſcera naſus arat.
Quantumvis duris contendunt pectora roſtris,
Gramineas fibras arida terra negat.
Jura dabat terris, morientia corpora vexans,
Et ſtimulans animas irrequieta fames.
Non frondes arbos tribuit, non gramina campus,
Non quercus glandes, illiceasque nuces.
Quærendo ſiliquas, totas dabat ardor edendi
Porcinas curas, diraque flamma gulæ.
Obvia fortunæ ſi quam dedit alea glandem,

Den-

Dentibus obliquis Sus furibunda rapit.
Quiſquiliam è ramis altis fortaſe reciſam
Defenduntque Sues, Porcaque dente fero.
Pro glande excuſa, ſiccam quam mittit in alvum,
Sus truculenta fremit, cum violenta vorat.
Quandoque in ventrem repetit materque ſuilla
Quos dederant natos viſcera fœta prius.
¿Quid ſibi paſtor aget grex dum ſic pabula frendet?
Quando etiam rabida deperit ille fame.
Sed nec avarus herus minimas huic ſufficit eſcas,
Non vacui ventris triſte levatur onus.
Sylveſtres ſaltus, arva arida, cuncta pererrans
A grege paſcendo paſtor alendus erit.
Inſequiturque Sues, ſiliquam ſi forte remittant,
Vel prætermiſſam, vel quæ oculos fugiat.
Jam jam cum Porco par ſors alimenta ferebat,
Atque cibo vitam ducit uterque pari.
Et ſiliquas Porci, ſiliquas quoque paſtor anhelat:
Eſt commune duum jam genus ecce cibi.
Ventrem implere ſuum ſiliquis dum fervidus optat,
Cum Suibus partes efficit ille ſuas.
Dumivagusque petens, impervia cuncta peragrat:
Cogitur inde miſer ſollicitare cibos.
Aſpera cum nullo reficit ſua prandia Baccho,
Vixque dabant potas ſtagna, palus vel aquas.
Talibus ipſe cibis animus ſtupefactus, & ingens
Seu mentem torpor, corda vel ipſa tenent.

Arca-

Arcades, unde genus priſcum, Lunaque priores
In mentem veniunt, lactiferique greges.
Paſtores olli locupletia munera pingui
De pecore exugunt, ſiccaque labra bibunt.
Ex fœtis Ovibus fluit ipſis copia lactis,
Atque uber plenum ſima Capella dabat.
Mammæ mulgentur turgentia munera Vaccæ,
Uber quæ ad mulctram fertile prompta trahit.
Concutiens, agitante manu, tum palma butyrum,
Compreſſum adſtringit: Caſeus inde patet.
E lacubus Vaccæ, labris carpentibus, Ulvam
Aſſervant imo, Sole cadente, ſinu.
Poſtea nocturnusque tenax dens ruminat herbas,
Ac coquit humorem prævius iſte labor.
Arva virent herbis, pingueſcunt gramine campi,
Et pecudes paſtum, quo foveantur habent.
Non latices deſunt, dulcis nec flumina limphæ,
Quam ſugant Capræ; qua recreentur Oves.
Sic impinguatæ redeunt de rure Capellæ,
Ad caulas pecudes, ad ſtabulaque Boves.
Mane novo vigilans, caulas & ovilia viſens
It paſtor mulſum, mammaque plena venit.
Concavus hinc Ciathus, vel teſtea vaſa redundant:
Dantur, Ariſtæe, lactea dona tibi.
Tunc cenſum pendunt, tunc munera fixa, diurnos
Proventus tribuunt quotidieque greges.
Merces paſtori taxatur digna laboris,

Cum

Cum victum reffert quod gravat intus onus.
Alternum munus paſtorque pecusque viciſſim
Sic peragunt ambo, contribuuntque ſibi.
Paſtor alit pecudes, ſolvuntur præmia facti:
Ut lac pro paſquis ſorbeat ille datis.
Jus hoc, hæc lex eſt quam fœdera juſta repoſcunt,
Hæc Do ut des ſic poſcit utrimque ſimul.
Eheu! quam varia eſt ſors, ſunt quam tempora, noſtri
Altera quam facies upilionis erat!
Ob ſterilem terram, peragit qua munia vernæ
Pinguibus Arcadiæ invidet ille locis.
Arcades, ò ſemper gens cui Pan veſter amicus,
O, patera in veſtra nunc labra noſtra bibant.
Atque utinam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Et cuſtos pecoris, mulſor & ipſe gregis.
Quam menſis optat noſter diſcumbere veſtris
Venter inops, pateris fundere mulſa meis!
Hìc cibus en cupimus ventrem, vel viſcera nobis
Impleat, & rabidam pulſet ab ore famem.
Hìc glans in pretio eſt, oculo vix penditur uno,
Et mihi poma Ilex hactenus iſta negat.
Tum lac porcinum ſtomacho non utilis eſca eſt:
Non uſus, quantum vileat, ipſe probat.
Sus genus immundũ eſt: non cenſus Porcus avarus,
Non fructus tribuit ſoſpes & ille ſuos.
Pinguia non præſtat rumpant ni guttura cultri:
Diſtrahat & gladius, ſtrictaque ſica gulam.

Ut

Utque Sues paſcam dominus jus contulit omne,
Ne gregibus paſcar lex quoque lata mihi eſt.
Lactis non uſus, carnis non juraque dantur,
Non ſiliquæ, & nullæ copia glandis adeſt.
Sic loquitur lacrymans, oculis laxabat habenas,
Obcæcatus adhuc, & ſine mente puer.
Non vexatio adhuc perfundit lumine ſenſum:
Et mente eſt perſtans hactenus ipſe rudis.

NOX erat: & nullas reſerabant tecta feneſtras:
Palpabant tenebras interiora domus.
Omnia quæ intus erant, umbris ut fumus opacis
Infuſcat cœlum, ceu ſtiga nigra patent.
Æthereas, renuente polo, non ſidera luces
Triſtia diſpergunt, ſtella nec ulla nitet.
Limina ſtricta rigent: flammæq̄ ad lumina greſſum
Non aditum portæ veſtibulumve dabant.
Tum dominæque domus menti, caligine merſæ,
Fulgoris renuit ſtricta ibi rima locum.
Non ibi nocturnos curſus ſibi candida Phœbe,
Non agitare ſuos Cynthia gaudet equos.
Splendor cœleſtûm extremis qui dulcia terris
Lumina dat nitidus, quæ dabat, ipſa negat.
Æternum tolerare chaos, vel abire per umbras
Mens trepidat, cœlum ſi in ſtatione manet.
Hic ſtatus eſt Juveni, facies hæc ſordida noſtro:
Aſpectusque homini, dum nocet, iſteque erit.

¿Quis puer iſte, putas, juvenis quis forſitan iſte,
Quis foret iſte ſua, lumine, mente carens?
Ut primum æterno ſtabilitam fœdere legem,
Præceptumque ſcidit mens ſcelerata pium.
Ut primum à ſanctis, amplectens turpia, caſtris
Defecit, juſti dum temerator erat.
Luminis à Patre dirum pertractare receſſum eſt
Auſus, furtivas mente agitare fugas.
Terrigena infandus: ſævaque cupidine flagrans
Corpora pectus agunt, inficiuntque animum.
Tum mens inde ſequens cæcos per devia ſenſus,
A capite impingit dum ſine luce pedes.
Sic juga detrectat, partes ſic transfuga Divûm
Deſerit, infidus, perfidus ille Deo.
Excutit acceptum cœleſte almumque chariſma
Diſſipat: atque animæ prodigus ipſe ſuæ eſt.
Gratiaque ut deſit, cœleſtia numina ſacras
Nec tribuunt menti, nec capit ille faces.
Ex tunc iratum miſero commercia cœlum
Occludit: juſte cui ſua jura vetat.
Spiritus ille ſacer rivos de montibus altis
Non, quos, jam mittit, fuderat ipſe prius.
Haud ſalit æternis ipſi fons, unda perennis
E ſcatebris, liquidus non fluit inde latex.
Subſidium cœleſtis opis, ſolamina quondam,
Suppetiasque, dedit quas Deus ante, negat.
Omnia deficiunt ut numina celſa recedunt:

Quo

¿Quo non indigeat qui caret ille Deo?
Deniq̃ cuncta labant, ſanctus quæ fœdere cumque,
Gratia conjungit mutua, nectit amor.
Sic foret æternùm meritus ſine numine fati
Terrigena infandi, quem ſua facta premunt.
Sic foret æternùmque miſer, ni provida duris
Subveniens Deitas auxilietur ope.
Ludit in humanis ſacrata potentia cauſis:
Lapſum illi tolerat, tollat ut inde caput.
Spes ſimul atque fides, mentem quò attollere ſurſum
Suppliciter valeat, utraque firma manet.
Non adeo cecidit paries, non aula ruinis
Corruit omnino ſtent modo fulcra domus.
Ne pereat, triſtisque cadat, ceu pondere, mole
Totus homo culpæ, ne grave damnet onus.
Permanet alta Fides: ſic, protinus utque reſurgat,
Eſt illi abs obitu Spes quoque rapta ſuo.
Spes modo opem tribuat, duris ſolatia rebus
Firma manens præſtat, damnaque acerva levat.
Hæc ventis avidos adigit dare carbaſa nautas
Puppibus hæc feſſis littora grata trahit.
Spes facit ut votis, reſpondens læta, coloni
Spicis concedat tempora cincta Ceres.
Hæc dea conſtrictis ob crimen compede aheno
Perfacilem tandem monſtrat adeſſe Deum.
His ergo auxilijs, hac luce juvamina celſi
Numinis aut captat, ſeu caput inde levat.

Audacem fortuna facit quoque, corpus ephebi
Erigit illa, prius quod ſine luce fuit.
Sic tu, Saule, aliquando, vel ſic lumine læſus:
Dumque cadunt ſquammæ protinus alta vides.
Quæ fuerat quondam rudis indigeſtaque moles,
Quæ latuit pullis marcida terra locis.
Quam vacuum tetrumque chaos turpabat inanem,
Quamque tulit fœdam turbida congeries.
Vix nova lux aderat: cœlum vix lumina torquens,
Vibrabat radios, fulmina clara, ſuos.
Haud mora: terra nova, & nova rurſus floret imago,
Atque eadem ipſa ſibi, diſſimilisque venit.
Jam quæ nox prima, imis quæque obducta tenebris,
Abſuit: è cœlis gratia prima redit.
Jam nova ſunt Juveni, ſacrataque lumina, dona,
Jam Cœlum ex alto munera grata dabit.
Extemplo advenient lux, gratia, numina, ſanta &
Perveniet veſtis, quæ ſtola prima, cito, eſt.
Hoc omne in votis à Spe venit; haud tamen in re,
Quouſque ad Patrem corda liquata fluant.

CUM ſomnos abigit, relevat cum corpora letho,
Cui tacitus noctu Morpheus illa dabat.
Cum lux clara agitat tenebras, & limine ab alto
Emittit radios, fortius inde micans:
Excutiens ſe, fæda puer veſtigia pernix
Diſpellit: tardas rumpit utrinque moras.

In ſe, poſt fœdosque Sues, poſt fata reverſo,
Ut fugiat probrum, eſt pro pede penna ſibi.
Sic ſecum, dictante Deo, ſua tempora parvis
Cum rebus numerans, ſic loquitur lacrymis.
Qualis io, plagis pœnas hic debitor, exul
Sic ſolvo juſtas, verberibusque luo.
Heu! quot ſunt ſervi, famulorum turba, clientes
Qui in patrijs domibus ubera mulſa bibunt.
Qui ſaturum ventrem geſtant, queis copia panum
Jejuno ne unquam palleat ore fames.
Aſt ego dum jaceo ſpurcus ſectator amorum,
De pecore immundo vix alimenta fero.
Surgam ergo, ſurgamq̄ moræ mihi crimina ſunto:
Ex hoc jamque, procax turba, valete Sues.
Turba valete Sues, & vos mea crimina in ævum
Priſca valete, malis turpia fata meis.
Vos quoque vel terræ miſeræ remanete coloni,
Nuncque fames veſtris exeat apta locis.
Surgam ergo: en ſurgo: ad Patrem veſtigia curſu
Urgeo: ſegnities ſit mihi nulla volo.
Quam vellem & memet, cunctos ſic ſurgere, qui ſunt
Sectati errantem, quemque habuere ducem.
O utinam emergens vadat ſceleroſus ab imis,
Quæ trahit à noxis crimina fœda ſuis.
Dum retro aſpiciunt oculi quæ ad terga relinquo
Turpia, dant lacrymas more perennis aquæ.
Ah! pereant ſenſus, ſenſus nam vulnera menti
Tot

Tot fixere: animo delitiæque meo.
Exemplar, Juvenes, ſim non imitabile vobis:
Ut reſipiſcatis jam tamen illud ero.
Cum tempus repeto, replico dum mente pericla
Præterita, ingenio torqueor inde meo.
Ipſe timor damni damnum fortaſſe videtur,
Ac pavidum pectus ipſamet umbra terit.
Me mea facta tenent adeo formidine captum, ut
Multoties facies victa pudore cadat.
Juppiter aſtrigerum tonitru quando æthera torquet,
Dum, quæ homines terrent, fulgura dira micant,
Sic quiſque horriſono pavidus ſtridore tremiſcit,
Ut vivens, vitam neſciat ipſe ſuam.
Haud ſecus & memet, tantis cum verſor in undis,
Vel ſpes magna levat, vel timor uſque premit.
¿Surgam ergo? en ſurgam Patris quoq̃ limina noſcã:
Dum ſpes eſt intus, ſit metus inde foras.
¿Aſt qua nunc Patris per me ſic fronte relicti
Oſtia pulſabo, veſtibulumve domus?
Si culpam memori forſan ſub pectore condit,
Actum de vita non dubitanter erit.
Ingratæ ſi cor meminit genitoris adactum
Offenſa mentis, ponderat & ſcelera.
Æternam tolerare parum foret undique pœnam:
Si qua foret gravior, juſtior ecce foret.
¿Ibo ergo ad Patrem? ¿Vel nunc mea terga revertar?
Hinc timor atque pudor ſiſtit uterque pedem.

Lon-

¿Longius, atque iterum nitar vitare patrisve
Limina ſancta Domus? ¿Vel dare terga fuga?
¿Quò fugiam à facie illius? en ad tartara pergam:
Sed tamen eſt illic, atque ibi promptus adeſt.
Cum fugit Enceladus, quaſcumque inſpexerit oras,
Quàm celer abſcedat, ſub Jove ſemper erit.
Ibo ergo atq̄ moras ponam, mea crimina, & ibo:
Sævior ad pœnam eſt quæ datur hora moræ.
O Pater, ò Genitor, morulas mihi vertere culpæ
Jam ſiſte: eſt trepidus qui pudibundus adit.
Spes mihi certa ſubit ne ſit mihi amarus: at ipſe
Mitia corda gerens eſt, genitorque pius.
Ergo ut conſpiciar totus maceratus, & intus
Vulneribus plenus, ſaucia corda gerens.
Ut me tot cernat, quales malus intulit error
Confectum plagis, vel Sator ipſe ſacer.
Ut lacera in tunica nudus quoq̄ corpora monſtrem,
Sordidus ut triſti pectore totus eam.
Commotus pietate Parens, jam brachia flenti
Fortaſſe expandens, oſcula ſacra dabit.
Dum verbis caream pro lingua vulnera ſunto:
Quot mihi ſint plagæ, multa per ora loquar.
Os oculis tacitum tranſmittet munera linguæ:
Namque genæ madidæ corpora vocis agent.
Flexanimo ſermone potens, cui copia ſandi
Effulget luctus, ſi ſilet ore ſonus.
¿Ibo ad Patrem? ibo: ſed nomina ſancta ſilebo,

Ne

Ne titulo offenſum hoc concitet ira mage.
Filius aut dicar: forte indignabitur ille,
Indignus quanto nominis hujus ero.
Eſt aliquid, ſoboles patri ſi degenerer extat,
Atque à virtutis deficit illa via.
Non bene conveniunt illuſtria ſtemmata avorum,
Cum factis fama eſt dedecorata malis.
Filius? ille Pater? ſed uterque reciprocus extat:
Primum ſi demas, irritus alter erit.
Ad Dominum famuli titulo dum pergere ſaltem
Fas ſit, (ſint utinam quæ mihi vota precor)
Tunc nihil optandum ſupereſt: ſi hæc littora tantũ
Huc uſque undivagus certa phaſelus adit.
¿Ferte, quid hic cunctor? ¿mens hic cur ſedibus hæret?
Ducite jam venti per vada ſancta ratem.
¿Fallor? An illa domus, ſedes, ſunt tecta paterna.
¿Num prope jam chari ſunt veteresque Lares?
Non fallor: video (licet eminus) atria, tectum:
Obſcura hoc tribuit; ſed mihi certa Fides.
Non Spes me fallit: Genitoris chara legendi
Brachia ſum cupidus: motibus ibit amor.

SUrgit at inde Puer, qui ad Patrem ſedulus ire
Perrexitque, cito jam pede carpit iter.
Longinquas regiones, atque peregre profectus
Qui fuerat, longas plangit ab urbe vias.
Tramitis en ſpatium tardum culpabat, at ipſe

Ipſum-

Ipſumſe, quantum plangit adeſſe moras.
Ipſa à peccatoribus abſens ſtare videtur,
Et longe, culpa qua ruit, alma ſalus.
Ergo etiam nunc intervalla Patriſque locuſque
Prolis, cum diſtant, Cimmerium referunt.
Interea Genitoris amor generoſus ab imis
(Semper in internis oſſibus hæſit amor)
Viſceribus tractus, blandos convertere vultus
Intendit: ſobolem quà venit ipſa, videt.
¿Num prius illa venit Genitor quam conſpicit illam?
¿Quòd venit illa, videt? Quòd videt ille, venit.
Quod facit ut veniat facies eſt osque Paternum:
Ni aſpiciat Numen, non videt illa viam.
Ad Patrem haud itur, primus ni venerit ad nos:
Dilexit nosmet quoniam ipſe prior.
Nemo venire poteſt Genitor ni traxerit illum
Ad ſpecimen Patris, qui pia corda trahit.
Cernitur à longe ſoboles, quam prodiga traxit
Forti adeò impulſu, cum venit illa volens.
Quam velox pietate Parens, tunc prolis iniquam
Et dolet ille vicem: viſcera Patris erant.
Acurrensque repente Senex, ſua brachia circum
Colla dabat pueri, oſcula preſſa labris.
¿Quid ſoboles dicat vel ad hæc? Suffuſa pudore
Deſudat facies: quàm pudibunda riget.
Lingua vacans verbis, alienaque dicta repoſcens
Sic fatur lacrymans quo caret illa ſono.

Pectora ſic reſonant, contritaque corda loquuntur,
Ex oculis fuſis profluit imber aquis.
O Pater, ò mihi per tempus jam carior omne,
In Cœlum, & coram te mea culpa patet:
Jam non ſum dignus ſobolis titulo ve vocari:
Filius haud dicor ingenuusve tuus.
" His precor & dictis tua nunc, mitiſſime, poſco,
" Fiat ab adventu mollior ira meo.
" Ira quidem juſta eſt, nec me meruiſſe negabo:
" Non adeo noſtro fugit ab ore pudor.
" ¿Sed niſi peccaſſem quid tu concedere poſſes?
" Materiam veniæ ſors tibi noſtra dedit.
" Si quoties peccant homines ſua fulmina mittit
" Juppiter, exiguo tempore inermis erit.
" Tu quoque cum patriæ Rector dicare Paterque,
" Utere more Dei, nomen habentis idem.
" Vita data eſt, citraque necem tua conſtitit ira: *
" Triſtis & es quoties cogeris eſſe ferox.
" Parce vir immenſo major virtutibus orbe,
" Juſtaque vindictæ ſupprime tela tuæ.
" Parce Pater ſæcli decus admirabile noſtri,
" Terrarum Dominum quem tua cura facit.
" Spes mihi magna ſubit cum te, mitiſſime cerno,
" Spes mihi, reſpicio cum mea facta, cadit.
" Ipſe licet ſperare vetes; ſperabimus, atque

Hoc

* *Deus punit citra condignum.* Theolog.

" Hoc unum fieri, te prohibente, licet.*
" Nil niſi peccatum, manifeſtaq̄ culpa fatenda eſt:**
Pœnitet en facti: jam miſerere, mei.
Dixit: & extemplo ſubmiſſus poplite curvo
Compreſſit Patris, continuitque pedes.
Jamq̄ per ima humilem, celeremq̄ ad ſumma petentē
A pedibus ſurſum ſublevat alta manus.
Utiliterque Viri tenet hæc primordia juſti,
Cum teſtis cauſæ, & criminis ille ſui eſt.
Non ſe plus Genitor, cernit cum pectora nati,
Vel retinere valet, vel cohibere ſua.
Actutum celer, atque domus penetralia complens
Conſpicuæ, ad ſervos talia juſſa dabat:
Ite cito famuli, claves, aurata tenete
Scrinia, & ex illis, nam pius eſſe volo.
Nunc primum ilicet, abſq̄ mora producite tegmen,
Et gnatum indutum, quo fuit ante, date.
Annulus auratus digitos diſtinguat eburnos,
Clareat ut meritis filius inde datis.
Sicque pedum circundate jam nova vincula plantis,
Calceus ut mundus ſervet ad uſque pedes.

LAurigeræ Muſæ, noſtros ne excludite cantus:
Ad finem uſque meæ ducite verba lyræ.

* Facta,

* Quæſt. à Theolog. excitat. *An ſtante revelat. Divin. de ſua damnat. adhuc teneretur quis ad Spem Theologicam?*

** Hæc de Triſt. Ovid. Lib. 2. *Multivagam Chriſto feci ſervire poeſim.* Mantuanus Carmelit.

Facta, virumque dedi, patrijs qui incautus ab oris
Abſceſſit profugus: Myſtica ſacra cano.
Abdita conduntur magnis myſteria rebus:
Verbis de ſacris ſigna dedere fidem.
Quem Pater ille notat, Deus eſt, nos gratia cujus
Chriſtiadum populos, & ſobolem peperit.
Gratia naturæ eſt ſibi participatio Divæ,
Qua ſumus & gnati, noſtraque ſanctificans.
Filius en quis ſit conſtat: non annulus ille,
Quique manum exornat, qui digitosque manus.
Pneumatis ecce tibi ſancti pia munera monſtrat,
Fontibus è ſacris quo data cuncta fluunt.
Arbor & irrigua eſt divis de fontibus iſthæc
Gratia, quæ hoc donum pignus amoris habet.
Spiritus intus alens, fructus per tempora ſolvit,
Menſibus & dona hæc vel duodena facit.
Ne præceps iterumque gradus feſtinet eundo,
Comprimit ad juſtum calceus ille pedes.
Hujus ne pulvis fœce hinc ſordeſcere ſæcli
Efficiat mentem, calceus elicitur.
Curque poteſtatem clavis dat, munere dicam,
Nunc Pater hic famulis, clavigerosque facit.
Scrinia ut hi referent Chriſti, ſunt ſacra Miniſtri,
Qui ſic noſcuntur ſolvere poſſe reos.
His, igitur ſonteis capiunt purgamina Myſtis:
Mentibus abſterſis ſancta legenda petunt.
Eucharis hos menſa & confeſſos cordis ab imo
Paſcit,

Paſcit, ne Sanctum mordeat ore Canis.
Illa ſaginati Vituli vel ſacra Juvenci
Menſa eſt: aſt Juſtis ſanctior iſta nitet.
Gaudia ad intus agit modulamine dulcia chorda,
Quæ numero cantus excitat, apta choris.
¿Muſica quid reſonans menſæ ſociata melodis?
¿Vel quia grata trahit vel movet illa Deum?
Gaudia ſunt Superis, tollunt & ſidera plauſus,
Pœnam de noxis cum ſceleroſus agit.
Non erat ille domi: ſudabat frater ab æſtu,
Arva Patris recolens à redeunte die.
Ad tectum remeare volens, laſſusque labore
Dum prope limen adit; auris at intus erat.
It ſaltus volucer, reſonat quoque tibia flatu:
Barbitos acta manu perſtrepit icta ſono.
¿Quid ſibi tanta volunt? pavidus perquirit & ipſe
Abs uno è ſervis, qui celer acta refert.
De cauſa ut certus, de fratre ut talia noſcit,
Mens abſorta jacet, mens ſtupefacta riget.
Quis flammas numeret, memoret quis pectoris æſtus,
¿Quot cor contraxit multa per ora vomens?
Ira per internas cruciabat pectora fibras:
Seu rabies fuerit, ſeu foret illa furor.
Igneus haud aliter, complet quando ænea bombi
Viſcera pulvis, alit, dum parit uſque, rogos.
Machina tum terrens, quatiens quoq̃ bellica muros,
Horrendo ſonitu mœnia firma ciet.

Tunc

Tunc vomitu infernæ, quas continet, æthera flammæ
Incendunt: nec ſic flectitur ille furor.
Sic tabum invidiæ ſenioris fratris adurit
Ilia, quæ offuſcat lividus iſte color.
Dirus ut infernus ſic duriter æmulus extat:
Eſt oculisque malis qua videt ipſe bonos.
Rumpitur, ecce, oculus, cor rūpitur optima quod ſit
Vicini ſedes: rumpitur invidia.
Obliquo aſpiciens alienam lumine famam,
Reſpicit, en, pejus: dum meliora videt.
Cum lippis oculis ſit ſemper, lumine cæcus,
Haud in vicino tanta videre placet.
Eſt guſtu inſipidus; rodat cum ſuave palatus:
Dulcia vel mordet; non tamen illa probat.
Lividus eſt facie; ſed cærula lumina vibrans,
Qualia vulnificus ſic Baſiliſcus habet.
Sed tamen & fratri ſeniori agnomina noſtro,
Talia dum patitur; candidiora damus.
Invidiæ ſpecimen geſtans eſt zælus adurens:
Zælotypus; ſed non lividus iſte fuit.
Eſt modus in rebus: ratio quoq̄ cuncta gubernans,
Omnibus eſt punctum, vel moderamen erit.
Aſper & eſt iræ, commoti ac pectoris æſtus:
Sed modus eſt iræ, dummodo virtus eat.
Res quoque amara patet, mota eſt cum livida bilis;
Si tamen eſt ratio, dulcis & ira venit.
¿Ergo quid fratrem, quærit cum tegmina, frater
Sic

Sic Patris inceſſis? Non tua jura cadunt.
¿Quod fuit inſimulat zælus? nunc improbat ille:
Quod facit ille, facis: quod facis actum agere eſt.
Hic quoque ſi tibi, fervent quo nunc pectora, zælus
Ipſe opportunus, ſi foret ante, foret.
Haud bilem zælus juſto plus corque moveret,
Si cum debebas, conſilia ipſe dares.
Ergo dentata lima purgamina ferro
Fruſtra adhibes, quando ſcoria nulla terit.
Deficit en zælo moderatio, tempora deſunt:
Ni ratio niteat, turpiter acta ruunt.
Ferrea non ætas, fratrum dum gratia rara, eſt:
Cui Patris eſt & amor, ſentiat ille tuum.
Ira foris bello hæc agitabat viſcera fratris,
Quando & pax domui firmior intus erat.
Jurgia jam vigiles ſobolis patulasque Parentis
Aures pulſabant: nam petit alta ſonus.
Paſsibus hinc rapidis Genitor pia pectora verſans,
Ad gnatum lenis mitia verba dabat.
Sic monitis ſedata Senis, fuit ira: Patremque
Alloquitur facilis (ſic reverendus erat)
Ipſe amor: inflexas miſtasque dolore querellas
Expendit: poſcunt hæc amor, atque dolor.
¿Sæpe mihi dubiam tenuit ſententia mentem
Curares ſobolem an nullus ineſſet amor?
Ecce tot annis ſic ſervilia munia portans,
In tibi parendo pondus, opemque tuli.

Man-

Mandatum nunquam, ſemper ſuper omnia fidus,
Tranſegi ignavus; qui ad tua juſſa pius.
Haud tamen & fido ſaltem vel parva dediſti
Munera; difficiles experiorque manus.
Aſt poſtquam tuus hic tot prava, ac turpia geſſit
Prodigus, ad menſas evehis ecce tuas.
Non crimen pœnas pendit, non præmia virtus
Accipit: en fruſtra quam tolerata fero.
Quaſi in crudelem, tanquam in contraria verſus
Es mihi, cui labor eſt; nec mihi facta quies.
Talia perſtabat memorans, querulusque manebat
Filius ad Patrem: cauſa relata ſua eſt.
Inſanis, Juvenis, tempus tranſvertere niſus
Quod mens dat rebus provida ſæpe ſuis.
Rebus in humanis requies eſt ultima nobis:
Poſt opus eſt durum dulcior alma quies.
Hæc natura facit ſapiens, ſua jura loquuntur,
Anteire ut plauſtrum jungat & illa boves.
Omnia ſunt tibi decreto mea tempore danda:
Nunc age, nunc perfer: tempore cuncta feres.
Dona mea æternùm lætus poſt fata tenebis,
Dum modo Bos duram, ſæpe fatiget humum.
Non foret Alcmena natus provectus in aſtra,
Tempora ni ſtaret per duodena labor.
Exemplar fratris moveat te, care, puelli,
Qui intempeſtivis corruit ipſe datis.
Tempore muſta placent, juſto quoq̃ tempore proſunt:

Non

Non apte detur, vel medicina nocet.
Iſte tuus letho raptus, vitaque per annos
Frater erat functus; qui redivivus adeſt.
Ergo ne improperes traxit quem gratia Patris:
¿Cur tibi ſit reprobus quem facit ille probum?
Quam bene cum fratre eſt, habitet quod frater in unũ,
Edocet hoc pietas, hoc quoque monſtrat amor.
Ergo fœlices fratres ſic vivite Patri,
Quod vos perpetuo ſtetis & ambo ſimul.
Dixerat hæc Genitor: norunt cum tempora finem:
Hic quoque dicendi nunc mihi finis erit.

FILIO PRODIGO
ANTITHETON
DIVES AVARUS.

Ex D. Luc. cap. 12. & 16.

Condita diſparibus pedibus qui Prodiga duxi,
Imparibusque dedi numeris reſonare poeſim,
Nunc quoque parviloquus modulis compellor Avara
Proſequi, & abjecto percurrere carmine campum.

TUNC ubi tranquillo recreat ſua corpora lecto,
Atque citis volucer properans jam Morpheus alis,
Membra, oculosq; adigit gratis innare ſub umbris:
Spectra movent Pharij ſenſus, cum à lumine regis
Deficiunt omnes, fractique ſopore labaſcunt.
Septemplex dubia ſurgens ab origine vertex
Undivagus Nili, toto circunfluus humor
Cernitur, irrorans latos à flumine campos.
Somnus erat: vigili pariterque ſimillimus ipſe
Somnia qui patitur: vero reſſertur imago
Haud impar: ſtupidos ſenſus, mentemque trahebat.
Prata videntur aquis, pinguique uberrima fructu:
Arva ferunt ſegetes, plenas à caudice gemmas
Attollit ramus, frondesque extendit opacas.

Tur-

Turgentes calamos ſpicasque onerabat ariſta,
Spicaque triticeos per grana opulentia culmos
Auget: àt has inter ſolito plus turgida granis
Attollunt ſpicæ capita à pinguedine ſeptem.
Sed tenues aliæ totidem, quæ uredine turpi
Percuſſæ marcent, hauſtæ quoque robore, vires
Abſorvent, pulchras facies pompamque priorum.
Humida certabant ſiccis, florentia macris,
Lurida cum pulchris, ſine pondere habentia pondus.
¿Cunctanè ſic pugnant, calamus diſpeſcere cum ſic
Tentat avarus opes, ſpicasque refellere pingues?
Prodiga quas tellus hilarisque expendit ariſtas,
Has & hians ſibi, cenſus irrequieta cupido
Devorat: haud unquam illa ardore ſeneſcit edendi.
Fœtibus aſſueta eſt diris, hæcque edere noſtra
Eſt tellus: gravidata genus mortalibus iſtud
Germinat: ipſa parit duras ſic prodiga ſentes.
Si quando eſt fœtus edens, vel divite gemma
Utile tentat opus, ſuavesque rependere fructus;
Lividus (haud mora) vel vermis, ſeu putrida peſtis
Intima per faciles fibras tunc viſcera rodit.
Invida Avarum agit en peſtis: vitioſaque tellus
Prodigum: & illa vorat quod fertilis iſta profundit.
Eſt vitium vitium ſuperans: humanaque terra,
Poſtquam terrigena totam corrupit ad intus
In primo maſſam, vergens proclivis in ima,
Crimine, ducta malo, ſeſe vix continet uno.

Haud malus eſt penitus, prorſus non improbus extat
Prodigus: en ſibi ſic tantummodo noxius ipſe eſt;
Aſt alijs, potiora, bonus, cum ſpargit abunde, eſt.
Ah! pereat, moriens tantum qui commodus ille
Per mala vel bonus eſt: vita non utilis ulli.
¿Quis niſi Avarus hic eſt jejunus ſemper? Et ipſe eſt:
Qui vorat ut teneat; peredat ſed non tenet ipſe:
Ergo in deterius vergit mea muſa per ima,
Deque malo in pejus vadit per crimina carmen.

MOnſtrum horrendum ingens, ¿credet quis? ¿forte
Chymæra eſt?
Ens verùm eſt aliquod, res eſtque ſimillima vero:
Oppoſitis conſtans, varijs compactaque formis.
¿De re num quæris? Qui Prodigus eſt & Avarus.
Divitis en vultus, Epulonis guttura monſtri
Hæc narrant diri: peſtis non ſævior ulla.
Splendida quotidie menſa eſt, confertaque longis
Sic mappa eſt epulis: ſunt ſic non prandia tantum:
Non quoque cœna brevis: cocto ferveſcere muſto
Geſtit & ingluvies, menſamque abſumit utramque.
Lautus ſic cœnat, pariter ſic prandia luxu
Exercet crebro. ¿Nunquid non Prodigus extat?
In nihilo adſtrictus, nihilo inſpectatur Avarus
Cœnat, edit, *comedit*; *tenebris* obductus at atris, *
Neve cibos lychnus cernat, dum devorat eſcas,
Cœnat

* Eccle. cap. 5. ℣. 16.

Cœnat in obſcuris: clauſas à limine valvas
Hoſpes adit nullus: pulſans peregrinus ad horam
Diſſitus abſcedat pauper mulctatur ab intus.
Ergo & avara tenax, in eo quo prodiga volvit
Munera, ſemper agit. Prorſus mirabile monſtrum!
Dives erat: fruges, pingues fructusque ſub illud
Attulerat tempus tellus, & munere campi
Ditior effectus fuerat: Cereremque potentem
Horrea vix capiunt, ſegetes gnavique coloni.
¿Horrea corda forent? Non eſſent horrea granis
Arcta: nec, ut frugum multis ſervaret acervis
Congeſtam molem, faceret granaria magni.
Multa diu verſans animo, mentemque volutans,
Ingenium torquebat, egens ſenſusque per intus
Hac illac refricat mordentes pectora curas.
Non quid adhuc faciat noſcit, nam copia frugum,
Lætitia, mente abſorvet ſine lumine captum.
Horrea reſtabant, ſegetum cum copia cornu,
Vel cumulos etiam nunc area lata tenebat.
Ite procul curæ (dixit) quid coner & ipſe
Jam ſcio: vel morulã crimen mihi ponere parvã eſt.
Ipſe ſtruam majora: dabo curasve, priora ut
Deſtruam, & amplis velox exequar horrea culmis.
Ergo opus inſtruitur: fervens molimine diro
It labor, & nimio ſcandunt conamine muri.
Mænia lata nimis, duro quoque & aggere tecta,
Vel latere immixto, magnis ſtant ardua ſaxis.

Ro-

Roboreis lignis, firmo dum cardine poſtes
Oſtia ſuſtentant, ferratæ à limine portæ
Occludunt aditus, Vulcania munera vectes.
Ne curis ſocors teneatur debitor unquam,
Neve animum graviter fallax fiducia tandem
Punitum accedat, famulos adjurat, & acreis
Furibus inviſos doctosque latrare Moloſſos
Inſtruit, excubias, noctis qui & tempora ſervant.
Nec ſic ſat ſolers, haud ſic timor undique pulſus
Creditur à corde, abſunt vel de pectore curæ.
Parva cient animum: mentem proſternit avaram,
Exiguo rapiant folium quòd murmure venti.
Curſitat impavidus, quamvis per compita, qui nil
Quod prædetur habet, quod vel populetur abactor.
Ipſe canit lætus coram qui abducere prædas
Pertentat prædone, vias dum carpit egenus.
Dives at aggeſtis oneratus pergere nummis
Qui intendit, terrore pavens, perplexus & umbras
Pertimet ipſe ſuas. Triſtem per tuta petentem
Vel levis aura movet, ſimul ipſa ſilentia turbant.
Arceat, en fures comitum ſtipante caterva,
Qua latus ille tegat: curas formidine diras
Cor tamen intus aget: ſedem properanter in unam
Terror opesque petunt: ceu vepres pectora pungunt,
Ac terror creſcit quantum ipſa pecunia creſcit.
Ergo opere inſtructo, tandem granaria adimplet,
Horreaque ampla videt, lato circumdata muro.

Mænia firma parat, ſolidas fulcimine valvas,
Fundamenque jacit vallo: ſuppoſtaque muris
Alta jacet foſſa, ut pellat ſic crimina furti.
Ampla tenet latis ſpatijs, majoraque vellet,
Ingentum cumulis fabricata penaria frugum.
Urit inexpleta irrequietum pectus Avari
Et fera ſemper opum, nummique inſana cupido.
Amplum marſupium tenet; at ſpatioſius optat,
Quod gazas capiat tot, quot malus ardor habendi,
Quot cordis male ſuada fames, quot prava libido,
Ceu cupida, infandum! tenet alta mente repoſtas.

JAM matura Ceres properabat tempora ſertis,
Spicisque, arridens, flavos redimire capillos:
Optatas ſegetes toto flaveſcere campo
Fecerat, ad meſſem ſegnis quo albeſcit ariſta.
Arva patent pingui, coctoque uberrima fructu:
Stant gravidis culmis, prægnans ceu proxima fœtũ
Eniti cupiens, clauſamque emittere prolem.
Ergo feſtinus tentat jam, falce pererrans,
Dives avarus opes, locuplex quas ruſtica merces
Arrogat, in cumulum glomerare, & pondere acervi
Longam explere famem; ſic ſi ſatiabilis illa eſt.
Os vulvæ, Infernus, Terra inſaturabilis: ipſa hæc
Vel tria ſunt pariter: quartum ſat dicere neſcit
Ignis, cui nil ſufficit, & nihil extat abundans.
Aſt & Avarus adeſt reſtans, (eſſentia quinta

Eſt)

Eſt) ſuperans cuncta, & nihil eſt urgentius illo.
Ocyus in villas mittit: conducit in agros
Meſſorem, falcem multam qui immittat ariſtis:
Jam labor inſtruitur, meſſi quoque multa parantur:
Vix nova lux aderat: ſtat falciger omnis adunco
Accinctus ferro, dominusque urgere colonos
Conſpicitur rigidus: premit, acceleratque labores.
It ſudans meſſorque, uſtus fervore, per arva
Triticeos religans faſces, ſequiturque metentes
Conſervos pariter, pariterque calore peruſtos.
Forte ſitim relevant: libant vix pocula limphis,
Ecce iterum ad potum fervor: ſed fortius urget
Ipſe ad opus dominus: gemino exuruntur ab æſtu.
Triticeis plauſtra è ſtipulis onerata Juvenci
Submiſſa cervice trahunt, docilesque reponunt:
Rurſus carpenta impellens ferrata Bubulcus
Ad meſſes remeat, ducunt nova pondera Tauri.
Area lata patet paleas ſpicasque recondens:
A ſummo oppletur cerealibus uſque deorſum.
Magna platea capit fructus vix, portat & ægre
Tot Cereris cumulos: complebant omnia meſſes.
Meſſis abit longum in tempus, reſecandaque reſtant
Plurima: trituræ, abſdubio, jam munia dandi
Tempus adeſt, ad opusq̄ viciſſim armenta parantur:
Area ſubjicitur: ſcuticaque hinc inde ſonante,
Ungula Cornipedum paleas contorquet ad unguem:
Urgeturque labor: Bos, Taurus, Virque fatiſcunt.
Inſtat

Inſtat herus famulos, mulos: pars calce laborat,
Pars cribro granum purgatque: per æthera pellit
Pars ſtipulas vento: quisque eſt pro munere velox.
Interea ſaccos (munda de pulvere meſſe)
Certatim juvenes implent, mandantque ſeorſim.
Sarcina plus æquo frumenti plurima ſaccis
Fit, nimiumque gravis: reparant primosq̃, ſecundos
Rurſum opplent granis, plenos rurſusq̃ retundunt,
Ut capiant plura; & manicis ſic ora recludunt.
Viribus hinc magnis pubes de robore certans,
Quænam prima humeris, validisque aptare lacertis
Suſtineat pondus, quænam præcedat euntes.
Sic famuli cuncti, ſic mercenarius omnis
Comportant celeres, fuſisque per horrea granis,
Deponunt onera: angulus haud vacuus manet intus.
Exitus hic meſſis: complerunt munera ſervi.
Reſtabat merces operi, pretiumque labori:
Hoc opus, hic labor eſt: longi mora temporis extat.
Dives erat dominus; ſed ſic ut dives, avarus:
Et labor alter erat ſervis tunc præmia facti
Inſtaurare ſui: gemino ex ſudore reportant
Vix obolum: factis redimunt ſtipendia duplis.
Heu pauper miſer! Aſt heu tu pauperrime Dives!
Creditor en toties frangit tua limina, pulſans:
¿Fiet quid miſeris? ¿Eleemoſynamve petenti?
Obſtruit iſte fores Dives, præcordia duris
Vectibus; ac nullis aperit ſua pectora votis.

¿Durius ære quid eſt? ¿Adamas: adamante quid ultra?
¿Pectus avarum eſt: iſto jam quid durius eſt? Nil.

ALtera jam facies arvis: quæ gratior ipſis
Florida vernabat, tenuis ceu fumus in auras
Ex oculis fugit: ducit ſua funera campus.
Meſſibus ille ſuis gemitum, luctumque parentat:
Quique prius flores riſit; nunc luget ariſtas.
Heu! vos non nobis, agri, cum munera celſo
Aggere congeritis, non vobis pinguia fertis.
Alter opes comedet veſtras, indignaque dextra
Fortunas, ditata, metit: comportat avara
Quod manus ampla dedit munus, quod fudit abũdans.
Magnæ molis erat duris occludere valvas
Vectibus, atque feris aditum ad granaria magnis.
Ænea, ſi fieri poſſet, foret undique porta,
Theſaurum qua celet, opes qua abſcondas avarus:
Qua intus cor claudat, præcordia condat iniqua.
Theſauri ut cumulus, frumenti ut copia tanti,
Divitis ut meſſis numeroſus cingit acervus
Turpia corda viri, utque jacet præcordia circum
Congeries adeo nimia, ex tunc pectora curæ
Jam morſu exagitant: feſſos jamque occupat artus,
Non dulcis ſomnus, mentis nocturna quies ve;
Non ſopor ille levis, recreat qui numine noctis
Corpus, ſudores lentus reficitque diurnos;
Sed mage terrificus mœror. Tunc ilia pungunt,
Ceu

Ceu diræ Eumenides, noctu genitæque ſorores,
Ceuve ſuperba animo taxans Rhamnuſia pœnas,
Pervigiles curæ. Somnos expellit inertes
Anxietas animi: nequicquam fluctuat æſtu,
Inſomnes ducens tandem noctesque, diesque.
Ut comedat multis annis (ſi vita fuiſſet
Vel comes illa viro) ſtant horrea multa parata,
Frumenti haud modicum, reſtabat plurima frugum
Hactenus immanis moles. Hinc cura fatigat,
In partesque rapit mentem, verſatque per omnes:
Haud aliter quam cum furibundi à turbine venti
Diſcordes curſu, cæcoque à flamine ducti
Impellunt puppes: it trabs cava cincta periclis
Adverſis raptata Notis, ſimul æquora contra
Tendit in incertum: dubijs it credita ventis.
Sic famulus dominis multis qui paret in unum,
Quique jubent oppoſta ſimul: ſervire duobus,
Ac morem cunctis gerere, in contraria ducit
Propoſitum, mentisque ſcopum: neutroque placebit.
Sic varijs, ſecum reputans, curisque volutans
Diſtentam mentem, pectus verſabat acervum
Ad plura, ut plura, ac multum componere in unum
Pectora amara volunt: non fas eſt omnia junctim
Effectu fieri: hæſitat en tunc prava voluntas.
Tot frugum cumulos ſeros ſi ſervet in annos,
Peſtifera ærugo carie, ac putredine cunctos
Involvens ſenſim, roſtris arrodere aduncis

Ipſa volet: præterquam quod vel tempora furtim
Cunctarum aſſiduo ſic ſemper edacia rerum
Sunt motu, maſſamque potentia radere ahenam.
Quid tacitus populator aget, quid noctibus Oſor
Divitis ipſe latro prædas inſtructus ad omnes,
Et penitus latitat: Circunſtant omnia curæ.
Quæ ſuperexcedunt de gazis altera cauſa
Curarum eſt Olli, quem inopem vel copia fecit
Conſilij, expertemque: ¿inopivè rependere amuſsim
Num teneatur opum ſuperantia pondera Dives?
Eja agite & cuncti propriam qui expendere cauſam
Divite vos gaza cupitis: jus dicite quique
Vultis opes nimias nimio defendere jure.
Non tua, quæ tua, ſunt, quando, conamine diro,
Expenſas ultra juſtas tibi plura ſuperſunt.
Nil natura dedit fruſtra: direxit in uſum
Provida opes hominis: tibi ſic natura magiſtra eſt.
Nullo eſt deficiens, ſapiens nulloque redundans:
Ergo non tua quæ exundant, ea munera ſancit,
Creditor alter erit, cui ſic ſuccurrere tentans
Alma parens rerum, ſuperantia munera ſignat.
¿Tantanè te miſeri tenuere oblivia, Dives?
¿Quid vel inutiliter mavis ſic perdere inanes
Tot meſsis fructus, tantam pervertere opum vim?
In luxum vel quid pravum dare tanta fuiſſet;
Attamen ex opibus portarent commoda fuſis
Multoties inopes: ſed claudere cuncta ſub imis

Nil domino prodeſt, penitus nil indigus ipſe
De occluſis capit & numis: ſunt omnia fruſtra.
Sic ſteriles meſſes profert ſine fœnore tellus
Fertilis, & cunctos inopes non copia ducit.

¿CUR dare, Muſa, tuis monitis pia verba ſalutis
Intendens ægro es? Vano hæc molimine tentas.
Cum deſperatis moritur jam viribus æger,
Phœbigena ipſe licet, medicæ doctusque repertor
Artis, tunc tradat ſacras Epidaurius herbas;
Haud poterit ſuccis reduces abducere vitas:
Namque ſuum medici, morbus dum prævalet acer,
Non eſt, infenſum ſemper relevare dolorem.
Quando divitias inhianti pectore turpis,
Ac facile infelix animus coacervat avarus,
Tunc facie duplici, languorum examine, ſævum
Agmen convolvens corpus, maſſamque per exta,
Complicat humores, mentem demittit, & ægrum
Deſperat medicus: ſpes reſtat nulla ſalutis.
Tunc contra ægrotum ſimul & contraria diro
Concordant pacto: triſti contagia lege
Firmas dant dextrasque ſibi (concordia ſæva!)
Atque in ſubjectum crudelia fœdera jactant.
Sic augendi auri, argenti ſic ardor habendi,
Quando per internas animi mentisque medullas
Pervadit petulans, temerat penetralia cordis:
Sordida confeſtim tabes de pectore toto

Tracta

Tracta, ptyſis ve furens animam corrodit inique:
Huic, veluti antifebris, venas tranſmiſſus in omnes
Turgidus extentum ventrem male vexat & hydrops.
Morborum oppoſtas forſan ſi dicere cauſas,
Deque lue adverſa effectus quis noſcere tentet,
In promptu dictis addentur verba viciſsim.
En poſſeſſa placent; aſt ſpinis omnia curæ,
Morſuque æterno complent, præcordia circum:
Spicula ſæva manent, ferroque armantur acuto.
Majori ut pretio venalia ſemina fiant,
Si meſsis cumulos longos ſervarit in annos,
En curæ, en ſpinæ: putri eſt de ærugine terror.
Horrida ſi cœlum tenebrarit nubibus altum
Tempeſtas, validis turbaritque aëra nimbis,
En curæ, en ſpinæ: rapido ne fulguris igne
Juppiter intorquens inflexo tramite telum,
Iliacam cladem repetens, ceu Pergama adurens,
Horrea magna cremet, tradat Cereremque favillis.
Si Plutone fero tellus agitata tremiſcens,
Flammisque infernis molem quaſſata, fatiſcat,
En curæ, en ſpinæ, prorſus ne à ſedibus imis,
Sive onere excuſſo, plorent granaria caſum.
Si Moab è terra veniat latrunculus hoſtis,
(Ut quondam) & furtum percurrat doctus ad omne,
En curæ, en ſpinæ: forſan ne dente recurvo
Subdola clavis eat furtim per limina portæ,
Et prædam tribuat pravo de munere partam:

En

En & Avare, tuam ſpinam undique, & undiq̃ curam.
Nil poſſeſſa juvant, tribuitve levamina menti
Nulla per internas curarum anguſtia fibras.
Improba ſic peſtis, mœror ſic peſte ruinas
Incutiunt animo: febris, totusque per oſſa
It dolor: exitium minitatur livida tabes.
Una Ptyſis facit hæc triſtis tranſmiſſa per exta,
Una facit febris: ¿quìd ſi ſociatur & Hydrops?
Illa habitis nummis, iſte inflammatur habendis:
Et circunſcriptam regionibus illa per intus,
Undique ſepta, tenet gracilis, ceu tabida, metam:
Fine caret certo aſt hydrops, ſine limite ſemper,
Non ſecùs ac Nili Civis ſeptemplicis aſper
Creſcit in immenſum ſævus Crocodilus in undis.
Quo plus potat aquas areſcens ignea flammis
Plura cupido ſitit: ſorbereque pocula limphæ
Nititur ulterius, fitque inſatiabile pectus.
Sic duplici morbo marcens, (fortiſſimus iſte
Languor erat, verſaque vice it contrarius alter)
Succumbit letho: jam jam miſerabilis æger
Omnino infandum patitur geminare dolorem.
Ni evacuetur agens, ſævusque in pectore peccans
Humor, de infirmo eſt ſic, atque perenniter actum.
Non dubium qualis ſanguis fluxurus: & humor
Aureus eſt: etenim manat de divite vena:
Dives erat languens; nummis oppletus & auro:
Scrinia aperta fluant ergo de ſanguinis arca,

Ac

Ac ſi de vena; bibat ut ſic arida ſuccos
Ex auro liquido (ſit ſic potabile & aurum)
Arida lingua (inquam) potet, quæ areſcit, egeni.

TEmporis interea velox quo vertitur anni
Circulus in gyro, ſenſim quoque menſtrua Phœbe
A meſſe expleta duodeno inflectitur orbe,
Horrea lata gemunt ingenti pondere grani,
Haud ſecus ac plenum magnis è piſcibus, atque
In terram attractum, queritur de pondere rete,
Nexilis ac lini rupta compage laborat.
Non meſsis molem validis niſi prædita fulcris
Ferre valet: magnis cumulis ſic horrea abundant.
Nec mora: tunc Dives relevare à pondere frugum
Horrea pertentat: tempus conſpirat in ipſum.
Meſsibus à primis annus jam verterat alter;
Quo nimbos celare graves (veluti aſſolet) arva
Monſtrabat ſignis: ventusque, Aquilone fremente,
Diſsipat & pluvias: ſterilis certò imminet annus.
Clamabat populus lacrimans: alimenta petensque
Prædia triſtis obit, totus ſuſusque pererrat
Jam villas, oleum perdens operamque, petendo.
Sunt tantummodo Divitis integra & horrea meſſe,
Multus ab integro cumulus conſurgit acervo.
Vendere grana placet, placet & ſic numus & aurum:
Non pius, ut quondam Joſeph vendebat egenis;
Plus juſto à miſeris, merces dum exponit ad haſtam,

Ex-

Extorquet: ſummum granorum eſt venditor ultra.
Jus pretij arbitrium eſt: ipſi pro jure voluntas.
Per fas, perque nefas, ceu ſubdolus inſtitor, urget
Fraudibus: in pretio ratio menſuraque nulla
Taxatur quæſtus: pendet ſine judice libra.
Sic cumulato ipſi redeunt cum fœnore merces,
Uſurasque ullas nec prætermittit avare.
Ecce emit hinc pauper: duplici aſt à Divite fruges,
Bis pretio redimit, fructus dum comparat: ultra
Quos ſolvit numos, penuria venditur ipſa.
Intra vix juſtum ſiſtit, ſeu permanet: ipſum
Granorum eſt pretiū: quantum tamen exit ad ultra,
Sic ſuperexcedens, pretium tum ſanguinis extat.
Divitis hoc lucrum, quæſtusque ex fœnore avari
Omnia ſunt iſta: & preſsi expilator iniquus
Paupertate inopis factus, crudelior ipſe eſt
Ocypete infanda, ſociat quam cruda Celæno.
Cernimus, ecce, virum, cœptæ poſt tempora meſsis,
Tantum qui ex illa argenti nunc pondus & auri,
Totque reportarit nummorum dives acervos,
Quantum tunc meſſis, nunc ipſa pecunia crevit.
Quæque diu anxietas quærens erat improba meſsi
Horrea lata nimis, majora & ſcrinia nummis
Jam modo ſollicitat: deſunt arcæ: ille crumenas
Comparat & magno: tanta eſt inſania menti.
De tantis opibus qui gaudia plaudat amicus
Nullus adeſt, gratans rebus vel forte ſecundis:

 Plaudit

Plaudit cognatus nullus: non gaudet amicis,
Affinique ullo, Dives nec ſanguine juncto.
Ut cor divitijs gazæ poſſeſſor & auri
Tradidit infandum, aggeſtis corque hæſit acervis
Nummorum, infelix penitus ſic pectora volvit,
Ac cœno pinguis Sus, corpora merſus in auro.
Divitiæ en hominemq̄ tenent, homo non tenet illas:
Eſt vir divitiarum; at opes non illius unquam:
Fors nullis æquanda malis, ſors digna dolore
Eſt nulli: indignus qui talia ſuſtinet, extat,
Ipſe libensque lubens, ſibi qui tot turpia traxit.
Turpiter ille ſibi de lucro è meſsibus acto,
Tot de theſauris gratatur: jubilat intus,
Euge animæque ſuæ placidus bis dicit, & euge:
Annos in ſeros mollem quis ducere vitam,
(Di faciant) anima, ex hoc jam tibi percipe fructus.
Sit tibi tranquilla & requies: nunc mollior eſto
Defeſsis oculis ſomnus: ſint otia menti.
Paſcitor & corpus, dapibus te dedito lautam:
Nulla eſto eſuries, rabida haud exurat egeſtas,
Deque ſcypho potum ne ſobrius excipe pleno,
Neu calices Bromio, renuas neu pocula Baccho.
Sit conviva tibi cave: menſa hæc ſit tibi ſoli:
Præter te nullus menſæ ſit teſtis ad horam.
Sic requieſce, bibe, ac epulas tibi perfice pingues:
Sic comede, ac mappis epulator ſemper opimis.
Talia, ſic animæ indulgens, jam præmia Dives
Som-

Somniat ipſe ſuæ: firma hæc ſententia mentis:
Quique arcas gazis patulas adeo impiger optat,
Horrea qui Cereri cupidus majora requirit,
Guttura nunc epulis, qualesque Ciconia longas
Extendit fauces, quærit, ventresque lupinos.

TEmpora noctis erant, carpens cum ſomnia dulci
Dives erat requie: Curis valedicere mens eſt.
Cunctaque de incluſa gaza ſibi recta videntur:
Non timor intus adeſt: venter tantummodo reſtat
Implendus dapibus: cor lætum: cætera nil ſint.
Fit ſonus: haud aliter quam cum nebula alta tonitru
Scinditur in partes, pariterque fragore retundens
Per patulas ſonus it, pavidas auresque refrangit.
Tunc Pater excelſus, mundi cui diva poteſtas,
Sic fatur (dicenteque eo, domus alta tremiſcit,
Et taciturna manet tellus, ſilet arduus axis:
Tum Boreas tacuitq̃, premunt ſua murmura venti,
Atque omnis ſonitu facilis tinniverat auris)
Tu quoque Avare ſile, atq̃ animo mea figito verba.
Stulte, hac nocte animam repetunt, vitamq̃, tuamq̃
A te: ¿cujus erunt quæ tanta labore paraſti?
Non incœnatus vadas ad tartara miſſus:
Ad cœnam tantumque unam tot fercula, demens!
Stulte, labore gemens, ¿quæ tanta inſania cordi?
Ventus vita tua eſt, veluti umbra, & fertur ut ales:
Quid? Si adeo eſt brevis, & tibi jam ſic cuncta nihil
ſunt.

Sic cita, nam properat pariter mors, prandia ſunto:
Sit tibi cœna brevis, non longa eſt vita, dieſque.
Si eſt cibus ut vivas, vitam eſt cibus utpote propter:
Quod tale eſt utique; & magis illud ſæpe videtur:
Nil ergo vita brevius: ¿vel quid minus illa eſt?
Quod mage ſi minus eſt, ¿cibus, aurū, copia quid ſunt?
Divitis ad ſenſum, penitus quem copia merſum
Materiæ ſic volvit opum, ſic divaque ad aures
It vox viva ſono: at ſtupidus mente ipſe rigeſcit:
Panditur ad nullas jam ſegnis janua cordis
Cœleſtum voces: cor, mens, animuſque recuſant,
Divitijſque jacent, gelidi monimenta ſepulchri.
Nil niſi divitijs, ventrique vacare voraci
Helluo turpis agit: ſtomacho, cui munere largus,
Thurea dona litat: Deus eſt, ſua numina venter.
Quique prius tantùm numi glomerabat acervos,
Nunc *Epulo*, & *Dives* crimen connectit utrumque.
Quid? ¿Si & Avarum agit hic, Dives quoque prodiga ventri
Prandia lautus amat? Tanta eſt vecordia menti!
Nulla abſque indultis laxis eſt regula morum
Duraque avaritiæ etſi lex ſit; irrita ventri
Jura tulit fœdo, ſtomachuſque excluditur illi.
Prodigus & ventri proprio; tantummodo avarus
Eſt alijs: cor molle ſibi; præcordia duris
Viſceribus jactat, crudus Rhadamantus egeno.
Sed neque & omnino, clemens, ſibi parcit iniquus:
Im-

Impius in propriam, renuens ſuffragia menti,
Eſt animam: corpus tota eſt ſibi portio: cura eſt
Atra de implendo patulaque voragine ventre.
Haud minus in luxu veſtis qua cingitur, aurum
Prævalet, & faſtu: tunicam chlamydemque ſuperbus
Oſtentat croceo, Tyrio quoque murice tinctam.
Geminarum ornatu fulgens it purpura, byſſo
Contegit illa humeros, amplo religataque clavo.
Turgidus incedens ſic eſt: ſic Dives, Avarus,
Prodigus ille ſibi tantum: ſic verba ſalutis
Accipit: & plebis dives laudatior ullus
Nec fuit in populo: nullus ventoſior ipſo.
Quantum auro ipſe potens, luxu quoq̃ fuſus, amictu
Purpureumque gerat, tegmen fulgentius oſtro,
Inclytus & populi pergat poſt ora, frequenter
Sit faſtu inflatus, plauſu ſic publica vulgi
Ora legat: tantum ille domi penetralia denſis
Obductus tenebris, umbriſque adopertus opacis
Occultus petit, ipſe Gulo quò devoret eſcas,
Quo ſine teſte queat ventri indulgere, voraxque
Splendida quotidie, multa & libamina Baccho
Propinare ſcyphis, terra pelagoque ciborum
Quæſitor cupidus, nunquam ſatiabilis alvo.
Tota dies unam inſtruit uno tempore menſam:
Quælibet hora cibis, mappiſque appoſta diei eſt,
Nocte dieque nigra eſt fumans per tecta culina,
Sollicituſque Coquus vel pinguia larda per ignes

Sub-

Subjectos torrens, ſupplet nova fercula primis.
Stant pariter celeres, promptiq̃ ad munera menſæ
Ad nutum ſervi, mappis parere parati.
Itque, reditque frequens in menſas unus & alter
Nectareis juſcis, ad plenum at uſque, catillus.
Haud terra immunis, non flumina, pontus, & aër
Effugiunt rabidam peſtem, non guttura ſæva
Declinant: ſervire avido ventrique coacta
Sunt elementa gulæ: tanti mala corpora penſat.
Et nemus & ſylvam, ſaltum, dumeta fatigans,
It faretratus Apros inſtans venator, agreſtem
Per campos Leporem ſectans, Cervumque fugacem.
Quæ prope humum volitat menſæ ſic cedit edacis
Lurconis Perdix: pariter peregrina Coturnix.
Altivolansque fugit vix aucupis arma Palumbus:
Pennigeroque gregi fallax ſic præparat auceps
Inſidias, tribuat vel ſic lenimina avaro
Pauliſper ventri: flumen nec diffugit altum
Pinnigeros quoque menſis ſuppeditare colonos.
Æquoreos piſcator adit, quærensque receſſus
Inſumit tempus: ſiccoque á littore laxat
Retia: Mergus aquis hamo prenſatur adunco.

NON adeo Dives lurco convivia portis
Exercet clauſis: tenuis vel rimula egeno
Semita ſufficiens: ſtrictis penuria gaudet.
Quæque caſam exiguã, adſtrictumq̃ à vimine tectum
In-

Incolere aſſueta eſt ſemper penuria, dîtum
Illa timet portas: aditum tantumodo poſcit
Languida vox ſibi: non gratis palatia valvis
Gaudent: oppilata foris quoque pectora frigent.
Janua ni pateat miſero; det rimula voci
Saltem aditum triſti: cor condoleatque dolenti.
Percutiat duras inopis de pectore miſſa,
Edita perque auras vox ſaltem divitis aures.
Ni flectat durum (forſan quia languida) pectus;
Ipſa tamen triſtis fortaſſe Acheronta movebit.
Ulceribus plenusque jacet ſic Lazarus ante
Oſtia mendicans celeber qui Lazarus olim.
Lazarus ille quidem ſacro celeberrimus (inquam)
Eloquio, ac fama latis laudatus in oris.
Seu fuit ille viri ſpecies, ſeu corpora veri
Geſſerit in ſcena: ſit lis ſine judice juſta.
Ulceribusque laborat, egens medicamine, & eſca.
De ulceribus fœdis, plagato ac corpore vermis
Horridior ſcatet: ac ſanie manantia tetra
Ulcera fœda manent, permiſtus vulnere ſanguis.
Vulnera quot perſtant, ſunt tot quoq̃ & ora rogantis:
Centum ſi plagæ, linguæ ſunt oraque centum.
Supplice voce petit, lachrimans it poplite curvo,
Crebraque vota facit, clamat manibusve ſupinis:
Plaga infenſa patet ſic, ſic & vulnera monſtrat;
Non ſic Gnoſiacus flectens adamantina corda
Captatur miſerans, caſus non tangit iniquus.

Pectora iniqua: rigent durum ceu pectora ferrum.
Lazarus *auxilium* (dant hanc pia nomina vocem)
Divitis implorat: micas ſaltemque cadentes.
Percupit inde ſibi: ſaturari à divite menſa
In voto eſt ipſi; nunquam ſed pectora votis
Funguntur: miſera ſorte & fraudantur eiſdem.
Nemo dabat micas: ¿nemo? ¿Quis deneget iſta?
Vel deſpecta cadens, tanquam quid inutile, mica eſt.
Non homo ceu *Nemo* eſt: nemo eſt, nihil eſt & Avarus:
Quod nihil eſt, renuens, renuendo non homo certe eſt:
Ergo dabat micas *Nemo*, quia non dat Avarus.
De menſa micas inopi, nec forte cadentes,
Nullus mendico tribuit: non ſervus ad horam:
¿Quid dare verna valet, dominus quod denegat ipſum?
Ergo dabat micas nemo, quia non dat Avarus.
Colligere & mappas Dives poſt prandia mandat,
Jacturam facere (ut vel ſic jactentur ad extra)
De micisque jubet ſervos, ceu prodigus ipſe:
Ergo dabat micas *Nemo* quas perdit Avarus.
Sic tantum plagis, à menſa Lazarus it dum,
Et ſaturatus abit, tantum ulceribusque refectus.
Ipſe Canes comites lingentes ulcera linguis
Et ſecum ducit: vel ſic, ut ſordide, micas
Cui renuis dirus ſævo jam pectore, cernas.
Ecce & de menſa domini micasve cadentes,
Fruſtula edunt panis comites ſemperque Catelli:
¿Hæc dominus canibus parcus quis denegat unquam?

Sit

Sit tibi (pro micis ſaltem) mendicus ad horam
Sorte Catellus egens, cui ſic ceu fidus Achates
Ipſe canis comes itque, viam quoque ducit euntis.
Conditione (licet pauper) ſed prodigus ipſe
Lazarus, eſt potior, te ſic præſtantior extat.
Ille Canes proprio (fœlix dum talia præſtat)
Quà ſanie manant ſtillantia vulnera putri,
Ille Canes (itidem) proprio de ſanguine paſcens,
Viſceribusque aliena ſuis ſeu viſcera lactans,
Concretoque cruore canum ſic ilia complet,
Depellens rabidam venientem à pectore febrim.
Ah pudeat te, mentis inops, quod talia cernis
Pectus avare, tui pudeat nunc criminis: ecce
Exemplar decuit ſæclis imitabile cunctis
Te ſumpſiſſe tibi. Quam vellem & forte videri
Illius & ſpeciem noſtro vel tempore dignam!
Haud tua mica ulli, mavis quam perdere, prodeſt:
Non tibi, quã pellis: Canibus, quã ad ſtercora mittis,
Haud lucrum faciet: nequaquam proficit ulli.
Ergo tua, eſt melior, menſa, quamque egerit extra
Lazarus, illa putris ſanies. ¿Quid vilius ultra
Te valet eſſe alibi, nullus quo indignior uſquam?
Di faciantque tuum Canibus ſine funere corpus
Eſſe diu prædam, Actæon velut alter, Avare:
Dente tibi inferias celebretve Moloſſus acuto,
Seu roſtro, ut quondam Jovis ira, corda Prometheu
Craſſa per æternum corrodant ilia Milvi.

Si tamen (utque patet) de ſanguine nauſea fœdo
Eſt Canibus forſan: nares nam ſæpe caninas
Fœtor & ipſe gravis, peſtis vel noxia terret:
Aut de ſquallore exhorret tua viſcera Vultur,
Tu tibi dente fero, diris, ceu ſævus Oreſtes,
Nunc furijs agitatus agas animamque, reponas
In ventre (& avido morſu) tua membra: per intus
Ipſe manusque tuas comedas, digitosque, lacertos:
Quodque ipſum crudo ſemper cor pectore vertis,
Ipſe caninus agas, morſuque in ventre recondas.
Namque tui ipſius digni artus, dignus & ipſis
Tu ſolus remanes: ambo ſimul: atque viciſsim
Tu tibi funereum buſtum, pariterque cadaver.
Hac prece & inferias dignas, tibi fama ſepulchrum
Promeritum condat, ſignataque carmina ſaxo.
Hic jacet, ecce, intus gelidumque forisque Cadaver:
Hic jacet, ecce, foris ſimul ipſum intusq̄ ſepulchrum.
Ut titulum quæras, ſignis nomenque ſepulti
Corporis, eſt nunc Oepidus & tibi ſæpe rogandus.
Ut fœdum, corpusque jacens vel numine noris
Nomen, ut obſcurū, obſcuro eſt ænigmate clauſum.
Prodigus eſt, uno, (infelix!) quoq̄ tempore *Avarus*:
Ipſe *Epulo*, atque *Inedens*: *Dives*, *Pauper*q̄ ſimulq̄.
¿Aſt ne oppoſta ſibi, tranſverſis undique cauſis,
Intima conjunctim valeant glomerari, & in unum?
¿Jurave naturæ perverſis legibus ibunt?
¿Humano aut capiti tentet nunc pictor equinam
Cer-

Cervicem ingerere, & multas intexere formas?
¿Delphinum in campis, inſcribere in æquore Caprũ?
¿Iſta ne cuncta ſimul fingunt mirabile monſtrum?
Nec fruſtra: agnomen caſu diſcrimen in iſto
Ferre nequit, factum non fallax indice verum:
Unumque ex multis, compactaque munera jungens
Oppoſta, exactum compingit Prodigo-Avarum.
Si bene facta probent, fas eſt quoque credere dictis,
Omnia dicta patent: totum vel conſpice factis.
Parcere vel ventri nollet; ſed parcere nummis
Vellet & impenſis, nulloſque expendere ſumptus.
Invidet ipſe ciboſque ſibi, quos erogat: ultra
Splendidus & prandet; tamen eſcas ſumere parcus
Appetit: affectumque miſer per inepta recondit.
Utrumque oppoſtum eſt; animo ſed volvit utrumq̃:
Multa bona exſuperant; totidẽ tamen ipſaq̃ deſunt,
Nam tenet in rebus nihil is qui non tenet uſus.
Ergo & Avare, ſimul ditem quem copia tractat,
Copia nil prodeſt: inopem te copia fecit.
¿Iſta ne cuncta ſimul tetrum deſcribere monſtrum
Compellunt mentem? Jacet: æternumque jacebit
Infelix Epulo: jure immiſerandus Avarus.
En jacet in tumulo, patulo qui in ventre repoſta, &
Corda ſepulta locat, micas quin dedat Egenti.
Tu quoque Egene miſer, ¿quid tu hic? ¿De te quid
agendum?
Ceu *lacerus*, plagiſque lacer, cum Lazarus optas

Divitis hic micas, turpis dum janua duris
Clauditur illa ſeris, recubas dum ad limina laſſus.
Tu quoque Egene jace, commiſſa piacula Dives
Quò ſolvat meritus, cordis quò crimina pendat;
Dum properat pœnis tempusque accedit amaris.
Nunc age: tuque canes lingentes ulcera putri
Nunc ſanie perfer, tolera nunc, ſuſtine plagas.
Omnia tempus habent: properum quoque ad omnia tempus
Eſt pedibus velox, ac verberat aëra pennis.
En brevis hora joci eſt: vix incipit hora, cadit dum
Lætitiæ facies, mutant dum tempora vultus.
Sic pro completo non nunquam gaudia triſti
Inceptum ſumunt letho: ſic numina ludunt
Rebus in humanis, tempus ſic pervolat omne.
Vidi ego felicem Niobem, fœtuque decoram,
Pignora temnentem faſtu Latonia ſævo,
Extemplo raptam, diro quoque Apollinis arcu
Ictam, ac in durum mutatam corpora ſaxum.
Vidimus in cœlum Titania monſtra gigantes
Moliri & montes, ſurſum capita alta ferentes;
Aſt ſubito è cœlo vibrantis fulminis ira
Dejectos punire Jovem ſub tartara tractos.
Viſa diu eſt celſo Libanique in vertice Cedrus
Alta petens, ſublime caputque attollere cœlo;
Viſa cito eſtque manus Celſi confringere dextra
Tum Libani Cedros, terræque æquare ſuperbas.
Vidi-

Vidimus: aſt cœptos fas eſt compeſcere greſſus:
Siſte viator, iter: poſthac majora videbis.

AD ſpectra en Pharius, portentaq̃ plurima Princeps
(Haud veluti quondam ſomni inculcare quietem
Dum noctu voluit, nigras cum viderat umbras)
Vertitur ipſe iterum, clara dum luce coruſcum
Percurrit cœlum medio jam à vertice Phœbus,
Ac minimas umbras recipit quando infima tellus.
Noxque diesque ſimul, tanquam cum luce tenebræ,
Cum tenebris luces pariter nectantur in unum,
Ad ſenſum cernuntur ibi: Mirabile dictu!
Tum circum tenebra ſpatium velatur amictum,
Quæ totos nigrabat atrox ſine lumine tractus.
Ipſa merique dies mediam caligine noctem
Palpat ubique, videns totas tenebreſcere terras.
Pertimuit natura Chaos, totaque Canopus
Antiquam ſubter faciem exhorrebat abyſſum.
Obſcuris obducta Pharos nec lumina noctu
Ipſa dabat tenebris: triſtes Memphitica tellus
Solvebat lacrymas, luctus ſua funera Nilo.
Haud frater fratrem, genitor proleinve, ſocrumve
Tunc nurus ulla videt: claudit ſic lumina nigra
Tegmine nox atro: tenebra at ſic denſa videtur,
Niligenæ ut cuncti, Pharao Rex ipſe procaci
Aut valeant palpare manu, vel ſcindere cultro.
Hæc ita: ſed caſtra, & ſpatium quo fixa tenebat
Gens

Gens Hebræa ſibi, regio ingens, oraque Geſſen,
A tenebris vacuata manent: qua prorſus & ipſis
Lux erat, & toto clarebat ſydere Olympus.
Finibus in medijsque ſimul, vel tempore eodem
Et tenebras palpat, palpat quoque lumina Nilus.
Quæque meri eſt unis placida, ac lux clara diei;
Eſt alijs vel triſte chaos, ſive anxia nox eſt.
Hic ſtatus, ad punctũ, medijs dum nabat in umbris,
Niliacamque premebat humum, Phariumq̃ ſuperbũ
Condignis meritò pœnis urgebat acerbus.
Aſt meritis lucis radijs è vertice fuſis
Hebraicam implebat gentem, populumque beabat.
Hic ſtatus eſt pariter, ſenſu ni fallimur ipſo,
Qui, latus, utrinque accipit ac utrumque, per omne,
Hic ſtatus eſt, inquam, infelix; felixque ſimulque,
Quem vel Avarus habet, tenuit quem Lazarus olim.
Peſſima mors extet, pariter quàm peſſimus ipſe
Et fuit occumbens, lex ſic hæc juſta repoſcit.
Peſſima mors nigras pallet ſignata per umbras,
Nullaque Niliacis plaga hac depingitur oris
Durior in ſe ipſa, ſæclo nec ſævior ullo.
Eſſe nihilque valet, pravi cui conſcia mens eſt,
Dirius & letho, cui in vita prava voluntas:
Huicque procella gravis tenebrarũ à flumine nimbi
Æternum ſervata manet: cui teter Avernus
Inſomnes ſervat noctes, denſoſque receſſus.
Eſt aliquidque horrere chaos, caliginis umbras,
Æter-

Æternasque ſubire ſpecus, tolerare cavernas,
Perpetuò exhaurire Erebi, & nigredinis undas.
Hæc, quæ Niliacis, letho, fatalia in umbris
Monſtra patent diro: mors hæc tenebroſa ſub ipſis.
Stat mors prava malis; ſemper pretioſaque juſtis:
Eſt ſimulac ipſi mors juſto filia lucis.
Lux candore vigens de excelſo immiſſa per auras,
In terrasque in torta toro, fax omnibus omne eſt.
Luminis à Patre & deſcendens numine donum
Perfectum eſt, & ubique micans de lumine lumen:
Montibus è æternis veniens, illuminat omnem
In mundum venientem hominē: cumq̄ una ſit in ſe,
Omnia & ipſa poteſt: gyrat transfuſa per orbes:
Mens, Anima, & Ratio, totum ipſa, atque omnia
mundo eſt.
Lux Patris ac *Verbum*, celſisque à ſedibus orta
Eſt ſplendor Patris, illius bonitatis imago.
Lucet & in tenebris: illamque prehendere nuſquam
Ulla tenebra poteſt: tenebris corcordia nulla eſt.
Demito & hanc lucem, deſint hæc lumina terris,
Terra foret vacua, ac moles perſtaret inanis,
Ipſa ſuper faciem tenebra & perſtaret abyſsi.
Lux pretioſa mihi, ſalve, pretioſior auro,
Tu mihi duxque viæ, clara & laterna vianti,
Tu cunctis Helice remanes, Cynoſura per undas
Æquoris infeſti, tempeſtas quo horrida nautas
Terrificatque premit, pavidos per tartara ducit.

Te

Te duce vela Noto remex dans carbaſa ventis
Æquoreus tentat portus captare ſecundos.
Prævia lux animam hæc retrahit ne tradita flabris
Vel levibus, dedat facilem ſe adſtare periclis.
In bivio hæc vitæ celeber lucerna, per umbras
Noctis, amica frequens, animam conducit opacas.
Ancipite à greſſu, pergit dum incerta viatrix
Mens incauta, levat lux hæc, ſat provida, euntem.
Tutaque, ductrice hac, longam peregrinus ad oram,
Tecta hoſpes reperit, dubius quandoque viator,
Difficilesque vias planat vel amica petenti:
Ardua tendenti laſſo per compita vitæ
Vel pede inoffenſo tribuit pertingere metam.
Hæc tenet alta Fides, hæc lux hæc munera cunctis,
Qui in luce incedunt; non qui per devia pravi,
Perque vias noxæ, exercet: ſunt lumine & iſti
A tenebris læſi, vel habent non lumina vitæ,
In radio offendunt cæci, ceu Noctua, lucis.

ERGO erat in fatis (potet ſic pocula Lethes,
Tartareique lacus) Epulonem excedere vita.
Ergo erat in faſtis (altas ſic occupet arces
Cœleſtumque domos) Inopem concedere morti.
Per bivium vitæ Dives Pauperque viator;
Tramite at inverſo, vitæ dum claudit uterque
Præcipitem curſum, ſedem tendebat ad unam.
Concors eſt cunctis ſedes conſtricta ſepulchri:
Mater

Mater & una ſinu cunctos ſic accipit uno,
Complexu & æquo ditem cum paupere tellus.
Communis genitrix commune & dedere pectus
Eſt nata ac ſoboli: gremio complectitur alvi,
Haud aliter capiens Cræſum, quam recipit Hyrum.
Una domus, genitrix una eſt, gremiumque, locusq̃
Terrigenæ miſero morienti, & funera cunctis.
Sors æqua eſt lethi, parque eſt fortuna ſepulchri.
Divitis excelſas fœdo mors pallida turres
Conculcat pede, calcat ſic quoque pauperis imam
Exiguamque caſam: nulla eſt acceptio morti.
Sic moritur dives, tumulo pauperque quieſcit:
Conditus ille patet; latet aſt abſconditus iſte:
Quique, ſuperſtes, erat parvo contentus, & ipſe
Sic parvum, moriens, buſtum capit: ultima tellus
Exigua eſt, fuerant velutique mapalia quondam.
Pauperis ac juſti nemo conſiderat unquam
Deceſſum è vita: tacitum ſectatur euntis
Ad foveam ſocius feretrum vix ullus: & ipſa
Nec Libitina ſuos tumulo ſolita edere luctus.
Sæpe ſepultura caret ampla, & corpus ad imum
Stercus abit mœſtum: fœdum ac miſerabile funus
Suſtinet: & vitam primùm per ſqualida traxit
Qui mœſtus, nunc morte refert ſine honore ſepultũ
Corpus: ubique, miſer pauper quoq̃, temporis extat.
Altera quàm ſors divitis eſt, & pompa ſepulchri!
Vix moritur Locuplex, ſonitum dant æra per altas,
 (Tinni-

(Tinnitum reſonant) tangentes ſydera turres:
Fit fragor in cunctis, cunctas it clamor ad aures.
Tota domus luctu fervens: ancillaque planctu
Tecta replet: lugent famuli: gemituque frementi
Cognatas ædes urgent, vicinaque complent
Cuncta loca: eſt Vidua, & fundit ſuſpiria Conjux.
Inſtabat tumuli tempus, jamque hora ſepulchri:
Non patitur morulas male ſpirans peſte cadaver.
Jam ſcripta ad funus dantur convivia chartis,
Jam tenſum pallet, frigidumque urnaque repoſtum
Funereo indutum ſacco; ſic corpus ad horam
Extrahitur tecto: procedit turba tumultu.
Fertur & ad tumulum: pergens pompaque ſuperba
Tunc comitum cœtus, tentat poſt pergere nigris
Tegminibus loculum: multum ambitioſaque plebis
Copia ſubſequitur: funeſta caterva dolentum
It gemebunda ſequens greſſu poſt terga feretrum.
Carmine funereo mendax quoq̄ munere Planctrix
Pergit, quæ ad luctus artes verſare perita eſt.
Affabre erat ſtructus, capturus corpus in ulnis,
Vermiferos cineres gremio amplexurus in amplo
Sarcophagus, quem multa nimis, vel copia grandis
Ornabat lapidum, argentoque inſignis & auro
Structura magnum ſuperabat Mauſoleum:
Arte Corinthiaca capitella exacta columnis
Fulcra dabant operi, ſpatia & ſimul ardua frontis
Ornabant, faciem cunctiſque forinſecus aptam
Jacta-

Jactabant oculis: toti ſpectabilis Orbi
Machina pulchra patet, circum dealbata ſuperne.
Materiamque dabant culto de marmore ſaxa,
Et lapides operi parij, pulchrumque nitorem.
Phidiaca arte opus eſt totum, totumque per alta,
Ambitione nitens, ſpatiatur ſydera celſum.
Materiam decorabat opus, namque, arte magiſtra,
Effigies ſculptas, pictas monſtrabat ad extra
Tum facies fictas, mentitaque facta parentum.
Arma locumque tenent latum: frontique patenti
Stemmata fixa manent, præclara & nomina avorum.
Tum vita functi fixis cœlata columnis,
Scriptaque facta vigent toto mendacia verbo.
Falſa & dicta ſonat quidquid narratur in illis:
Multa characteri dantur magnalia dictis,
Quæ ex vita conſtant nunquam veracia factis.
Hi, quos funerei falſo ſic pendit honores
Sunt vulgus: populi vox hæc plerumque maligna.
¿Ergo ne tanti ſtant Epuloni ſaxa ſepulchri?
¿Ergo ne Egenti deſit honor, nomenque ſepulto?
¿Divitis an celſum ſimili mors tetrica tectum
Pertractat pede? ¿Pulſat ſic quoque Pauperis imam
Exiguamque domum? Pereat vecordia vulgi.
Nil reffert, blando, triſtem dum pergit ad orcum
Qui infelix moritur, corpus putreſcere lino:
Serica nilque juvant ſubtili intexta labore:
¿Stercore quid reffert vili fætescat, an auro?

Stamine ſic valet & convolvere corpora mundo,
Ac fœtente fimo: parili ſic turpe cadaver
Occumbit letho, ſtrato cum expirat eburno,
Quam illuvie infelix moriens ſordeſcit in uda.
His ſimul atque æque Dives cum Paupere in unum
Conveniunt rebus; paria aſt & cetera non ſunt.
Cum ſubito caſu pauper, locuplexque relinquunt,
Cedentes fato, vitas, animasque reponunt,
Tunc ſubito, atq̃ ſimul ſors, quæ in contraria tranſit,
Toto utrumque facit diſtare in munere cœlo.

TUnc Colles Mundi, celſum qui ad nubila culmen
Attollunt, altosque caput qui à vertice montes
Inſublime ferunt, vicina cacumina cœli
Qui erecta cervice vident, qui ſydera tangunt,
Incurvaſſe humili, demiſſo ac poplite fertur
Ardua colla, apicemque altum cervice profunda:
A dubiaque, angore, via trepidaſſe feruntur,
Quæ, ſine fine, animas peregrinas ducit in oras.
Tunc, ubi fata fero disjungunt corpora cultro
Abs anima, atque tulit ſævo ſpiramina vitæ
Pallida mors ictu, completa & ſumma dies eſt,
Æternamque obitu ſubierunt lumina noctem:
Tunc, igitur, cum mens tenebroſo à lumine ſenſus
Jam disjuncta, videt tempus, (nova ſæcla) futurum,
Atque viam oblongam, ſtricto quæ tramite callem
Diſcindit medium: dubitans qua flectere ſorte
Con-

Conſtricta obnectatur iter: tunc horror ad ipſas
Intimus it ſævus mentis formidine fibras,
Atque animæ exangues terror tenet ipſe medullas.
Stat bivium: geminata via eſt: dextraque, ſiniſtra
Pandit iter: dubium, capiat ſurſumve, deorſum,
Hac, illacve viam: æternum manſura per ævum:
Qua, ut ſemel intratur, non tunc convertere retro
Fas eſt jam greſſum, obniti, vel tendere contra.
Haud ibi Mercurij tumulus, lapis it nec ad ipſum:
Effigies ibi trunca dei eſt, quæ oſtendere rectum
Tunc curſum valeat, nulla: it ſibi quiſque retentis
In vita dudum factis: opera ipſa ſequuntur
Illos, quoſcumque intra ſe jam ſemita lethi
Accepit functos vita: tranſvectis ad Orcum
Facta prius triſtem dant, ceu fera numina, ductum.
Qualia quiſque tulit ſtudia, & ferre ante ſolebat,
Hæc iter oſtendunt, quo cuique ibi tunc ſit eundum.
Haud callem innocuum, recto nec tramite curſum
Tunc ſceleroſus agit: nuſquam culpataque vita,
Vel metam turpis reperit mens conſcia facti,
Quæ in tuto ſiſtat: complentur cuncta periclis.
Ad Boream cecidit lignum quod ſorte nefanda;
Auſtrum vel tenuit felix: ubicumque repoſtum,
Æternùmque manebit ibi: nil juris ad extra eſt.
Ut ſimul infeſtam, greſſu in contraria flexo,
Gens ſcelerata manum tenuit, curſumque ſiniſtrum,
Arreptamque viam à vero dum tramite torſit,

In-

Infandum exhaurire chaos noctemque perennem
Cogitur æternùm: nulla eſtque reverſio finis.
Haud ſperare licet (fruſtra poſt funus & eſt ſpes)
Clavigero inque Duce: irrita, vel fiducia fruſtra eſt:
Nam ſedet aſtrictus ſaxo, æternùmque ſedebit
Infelix, inquam infelix ſine numine Theſeus.
Hæc via lævorſum eſt, nocuos quæ expellit ad imum,
Addictosque facit, ceu ligna, ardore perenni
Ultrices flammas durum exhaurire per ævum.
Altera jam fauſto bivij pars ducere greſſu
In ſublime docens, aciem tranſmittere ſurſum eſt,
Quæ facit, innocuosque vehi per ſæcla beandos.
Dextrorſum illa regit paſſus, nec abire deorſum
Qui à recto (in vivis) curſu divertere greſſum
Aut non ſunt paſſi, firmo aut pede tendere nixi,
Deſinit illa viros: metam quæ ad nubila tollens,
Vel ſuperis vicina manet: confinia celſo
Metaturque propinqua polo, propiorque ſupernis,
Fundamenta jacit, firmans in montibus almis.
Hàc bivium calles ſcindit, ſectumque, vias ſic
Complet & uſque duas: ultra jam tertia non eſt.
Tum ſuperas effert, Juſtosque extollit in auras;
Tum premit addictos, imasque impellit in oras.
Dic mihi muſa: ¿levat quid primos? ¿Quidve ſecundos
Sic premit? At numen velox ſic talia reddit.
Fortunas fortuna dedit: fors, tempore vitæ,
Divitijs cumulare probos, vult ſæpe malosque.

Tantis de gazis nil hi poſt fata tulere
Hæc bona ſors fallax velutique fugacia donat:
Quæ fortuna dedit, ſors hæc ſua munera tollit
¿Quæ tibi, dum fato concedis, munera, Dives,
Vel tecum portas, locuplex? Huc omnia ſiſtunt.
Ille perinde ac pauper abit, ſua & omnia ſecum
Portat, & ipſe miſer moriens ad tartara tendit.
Ibit ad occaſum nudus, quàm venit ad ortum:
Qui ingreſſum exutus fecit, tum ad funera greſſus
Ille dabit nudus: ¿quidnam comitetur euntem?
Hoc habet inde ſuum (proprium ſi in funere cui-
quam) eſt
Quod gerit in vita pravum rectumve voluntas.
Hæc bona ſunt, & opes, hæ gazæ, hæc copia, lethum
Quæ ſecum transfert: tunc ditem hæc copia ducit.
Omnia ſic ſecum portat bona, facta Viator,
Atque oneratus abit, ſcapulis qui hæc pondera tollit.
Dum gravitat pondus, gravitas quoq̃ ponderat ipſa:
Dives it ac Pauper, cum ſit ſua ſarcina cuique:
Ex tunc jam Diti morienti, ad tartara eunti
Sarcina pondus erat; pondus non ſarcina Egeno.
Ecce gravat pondusq̃ Epulonem ad tartara mittit;
Ecce levat pondusque Inopem per ſydera tollit,
Sarcina fitque levis: fit ſic ſine pondere pondus.
En moritur Dives: ¿decedit Lazarus? atque
Ambo ſimul! ¿fato cedunt? ſed diſpare letho.
Pennigero ad gremium tranſvectus Lazarus Abræ
Ob-

Obſequio it lætus, campos & amœna piorum
Viſurus ſpatia, Elyſias ſenſurus & auras.
Aſt Epulonem illum, miſero qui fata dedere
Infernas, tumulum, ſedes, ſententia Divûm
Damnat, & æterno deſignat lata dolori.

OMnia (nec dubium) gracili pendentia lino
Sunt hominum: Fortuna levis, facieque biformis:
Ancipite, ipſa rotam, circum quæ vertitur axem,
Irrequieta, pede impellens, ſumma inde per ima
Ire facit: ſubito & caſu, quæ firma valenti
Nituntur commiſſa ſolo, fundamine tuto,
Stirpitus illa quatit: certa non ſiſtere ſede
Terrigenam patitur Fortuna: volubilis ultrò eſt.
Tempora Fortunam, Fortuna infida viciſſim
Tranſvertit tempus, cunctisque illudit utrumque.
Sic lædit Fortuna Viros, ſic tempora ludunt.
Vix faciem lætam; vultus dum oſtendere acerbos
Geſtit, amica doli, varium placida & dare vultũ eſt.
¿Quìd ſibi & iſta ferunt? Quiſquam num credidit?
" An nòs
" Te facimus, Fortuna, deam, cœloque locamus?
Jam valeant fictum mendax, commenta priorum:
Expedit, iſta pius, ceu numina falſa releges.
Tu fati numen re nil, ut, munere, credas
Par eſt: hoc verum: mens hoc ſenſata tenebit.
Provida de cœlis, (alij ne crede colori)

Ludit

Ludit quæ humanis Divina potentia rebus,
Terrarum (rectrix mundi) quoque ludit in orbe.
A fine ad finem ſic fortiter ultima ductu
Attingit: diſponit, agit, regit omnia ſuavis.
Ipſa immota manet: ſtabilis cum permanet in ſe,
Inferiora, ſuo impulſu, dat cuncta moveri.
Hæc, ſibi jure ſuo fruitur dum libera, cauſas
Ad finem uſque ſuum ducit: ſua munia cunctas
Exercere jubet: proprio ſe ducere nutu
Terrigenamque dedit, ſacro cui munere Dîvum
Servitio, eſt proprium, immune, arbitriūve, voluntas.
Conſilij inde ſui manibusque, ab origine doctus
Atque Opifex, hominem, Divus ſic ſorte reliquit.
Ante hominem vita eſt, mors eſtq̄, bonumq̄ malumq̄
Quæq̄ velis, nunc ſunto tibi: nunc porrige dextrā:
Hæc tibi finis erunt, ſtultus quæ aut prava, volensq̄
Aut proba, conſilio rectus, fortaſſe tuliſti.
Eſt operis finis: finis ſimul eſt operantis:
Cunctos, qui ad metā tendunt, opera ipſa ſequuntur;
Atque opera & ſequitur pariter, pro munere, finis.
Ergo & Avare, tuam, factis quem vita malignis
Turpavit nequam, retine, pro munere, metam:
Tuque ſepultus abi: juſteque ad tartara miſſus,
Hunc finem ſine fine tene: retinebis in ævum.
Lazare, tuque veni, melior cui vita coronam
Imponit finis, capiti pro ſtemmate vittas.
Hæc facie, vultuque facit ſuprema biformi,

Judicio Fortuna gravi: ſententia menti
Hæc juſta eſt Divæ, dum ſic dat cuncta moveri,
Lazarus ut pauper fiat de Paupere Dives;
Impius ut Dives pariter de Divite pauper.
Gnoſia regna videt, ſæcli, qui, fine carentis,
Ipſe videre nequit metam: novus incola pœnas
Tunc callet, rigidis noſcens ſe horreſcere flammis:
Frigidus inde rigor totum dans pectus acerbis
Triſtitiæ ærumnis, addicit membra tremori.
Qui prior ipſe vorax, rabieque illectus edendi,
Lurconum more, impatiens mandebat & eſcas;
Jam patitur, fervente rogo, quòd flamma perurens
Morsque illum depaſcat, atroxq̃ immittat in alvum.
Ergo vorax, rapidusque fiuens, tunc vindice flamma,
In miſerumque cadens ignis, ſe in viſcera fundit,
Irruit ille furens: fervet miſerabile pectus
Vulcanum referens, totumque exæſtuat intus.
Quo pollet ſicco, fervens tum flamma, veneno,
Intima cordis agit: pervadit viſcera: fibras
Exſiccat tenues: fermeque intraneus humor
Deficit interius: violentaque pectora ſævus
Ardor concutiens exaggerat undique pœnas:
Ariditasque ſitim irritat, linguamque frementem
Exquoquit, atq̃ ſitis non ſpes manet ulla premendæ.
It dolor in pejus: tormenta horrentia diro
Supplicio abſorvent animum, mentique pavores
Incutiunt angore graves: linguamque palato
Inte-

Interea inſigunt, nam ſic ſententia lata eſt:
Æternam perferre ſitim, tolerare famemque.
Plurima, mulcendis pertentat faucibus, arens;
Aſt cuncta in caſum, mentemq̃ huc vertit, & illuc.
Unquamque, in rabie ſedanda è pectore, linguæ
Vel requies vel ſomnus adeſt: ſunt omnia fruſtra.
Interea hæc patitur, cruciatu inſudat amaro,
Dumque dabat pœnas, oculos extollit anhelus,
Inque ſinu à longe Excelſi perſtare Parentis
Conſpicit ipſe Inopem, prædivite ſede locatum,
In ſpe gaudendi, ſine fine in pace beandi.
Heus, Pater, (exclamat demens) hæc viſcera cernas,
(Perque tua expoſco) rabida laborantia flamma:
Teque mei (imploro infelix) miſereſcat ad horam:
En ſitio: ecce uror: miſerique dolere dolentis.
Lazarum ut emittas, guttam quæ (en parva repoſco)
Hanc ſedet linguam, lymphæque immittat in ora:
Contentus parvo; atque adeo non magna requiro.
Parva petit, qui parva dare; &, vel nulla ſolebat,
Parcus & in votis apud Orcum, ſordidus, atque
In cunctis nequam fit, non probus inq̃ petendo eſt:
¿Numquid adhuc penes eſt Erebum, vel Tartara Avarus?
¿Officiumque prius geſsit quod, detinet ultra?
¿Quæq̃ & Arachne primũ, hinc texit Aranea telas?
O Epulo, ò Epulo, quæ te dementia cepit?
Eſt minimum quid aquæ, juſto ſi à pondere molis

Ad trutinam liquidum guttæ pendatur: & extra hoc,
Panis mica levis minima quoque lance paratur.
Quiq̄ negans minimi; à minimo eſt apte ipſe repulſus.
Hæc jura expoſcunt, juſta & ſic Talio plectit:
Gutta eſt pro mica: pro mica & gutta negatur.
Per bona, quando ſoſpes eras, dum vita ſuperſtes,
Te inſaniſſe nimis, bacchatumque eſſe, memento;
Lazarus, at contra, vitæ dum pertulit auras,
Ærumna inſudavit egens, plagisque per omne
Indoluit corpus patiens: qui vibice multa
Suſtinuit probrum toties de limine pulſus.
¿Tuque ne bis locuplex; ille & bis pauper abibit?
Per nigram te intrare Stygim, pallentia mortis
Perferre æternæ, juſtum eſt, te ſulfura, & ignes:
Te Phlegetonta pati, regna & te inferna ſubire,
Tænarias umbras, obſcurum intrare per antrum:
Tergeminus te reſtat adhuc ut Cerberus intra
Fauces excipiat ſævas, atque oſtia Ditis.
Mortis inexpletæ furiæ, loca plena pavoris,
Hæc tibi cuncta manent diros toleranda per annos:
Æternumque tui luctus tendentur in ævum.
Hæc tu nunc pateris juſte; ſed Lazarus æquè
Dulcia nunc recipit placidæ ſolatia vitæ.
Præterquam quod, vel manes jam deſine fruſtra
Urgere in finibus ſanctaque in ſede piorum
Gaudentis jam inopis: pereas tu, ſtulte, quid ad nos?
Stat chaos; è medio imum, congeriesque profunda
Inter

Inter utroſque jacens: aditus penetrare nefasq̃ eſt,
Atque utrinque manens tetra irremeabilis unda.
Finibus ergo, miſer, jam jam te contine avernis.

ULtima tentabat triſti jam voce per umbras,
Sed vota in caſum: lævo quoque ſydere planctus
Edebat, gemebunda fremens ſuſpiria Avarus.
Sic tumulo, exequiasque ſuo dabat ille ſepulchro,
Æterno in ſtagno lugens mala funera Cycnus.
Ut ſemel ad divos noſcit ſua thura valere
Pro ſe poſſe nihil, nequicquam cunctaque fuſa
Jam vota ad ſuperos, rapere & conamina ventos:
Dumque labor totus, ſtudio, jam monſtrat, inani,
Æternum ſe addictum iri, ſua cuncta periſſe,
Tunc mala cauſa facit convictum crimine ſontem:
Jura tacere adigunt: juſteque ſilentia linguæ
Perpetua imponunt: ibi pars eſt ultima vocis.
Haud ſecus ac ſceleris nequam qui mole gravatus,
Ipſe animoque cadens operam ſe perdere norit;
Spem penitus ponit, miſſa jam à limine cauſa:
Qui juſtos tunc inde manent mala facta labores
Jam tolerare ſubit, gravibus concedere penis.
Rhetoris ut ſemel aures declamatio nullas,
Nullum ſermo movet cor, vox nec forte diſerta:
Eloquio ex tunc pollentes jam vertere voces,
Ac meliorem inde intendit defendere litem:
Sic fora Marte novo repetit, clamoſaque verba

Suſci-

Suſcitat, expectans mites jam Judicis aures.
Ergo iterum Thara genitum, qui ſtirpis origo,
Quæ ſtellas ſuperat, credentum quique Parens eſt,
Perturbare prece exoptans, rurſumque repoſtis
Sic fatur verbis, voces ſic mittit in auras.
Sextum, germanos quinque inter, fecerat olim
Me genitor fratrem: me me, quem fata tulerunt,
Æternum ut, triſti plangens mala tempora fletu,
Exemplar cunctis maneam teterrimus ipſe:
Ceu Martis proles. " Phlegiasq̃ miſerrimus, omnes
" Admoneã, & magna teſter nunc voce per umbras:
" Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere egenos.
Eſtò & jam durum mihi dehinc remeare per auras
Haud tribuat fatum, rurſum vel cernere lucem
Det non mortalem: dextras non jungere dextris,
Cognatis genere, ac dulci mihi ſanguine vinctis,
Aut ſaltem caris iterum benedicere amicis;
Tu Pater, at precibus renue haud, mitiſsime, noſtris:
Hoc unum te poſco pium, non abnue, quæſo:
Hoc unum (mea facta ſile, tua viſcera profer)
Hoc unum: alta manent & adhuc penetralia portis
Divitis ipſa amplis genitoris, & ardua tectis:
Tum remanentq̃ domi fratres, ſalvique propinqui.
Per gazam (ò utinam nunquam mea gaza fuiſſet)
Perque meas bacchantur opes, forſanque furenteis
Luxuriæ incumbunt, ludunt, epuliſque feruntur.
Heu miſerum! ¿Quis ſcit nunc an dum talia mando,

Quæ

Quæ manus arcta tulit, quæ tunc ſervavit avara;
Altera nunc, palma duplici, vel prodiga vaſtet?
Ne temere hæc fatear; fortunas cernitur, & quod
Poſt obitum, hæredes, fratris, poſt fata patris ve,
Tum fratres ſuerunt, tum illas temerare nepotes.
Mitte, Pater, mittas inopem, te deprecor, iſtum
Ad fratres, ſubito, reliquos, teſtetur ut illis;
Ne, calle inverſo, metam, in quam, munere avarus,
Deveni & citior, quiſquam, vel prodigus, horum
Serior adveniat. Referat: vel ut aptius ajat:
" Ne tormentorum veniant ipſi in locum & iſtum:
¿Talia quid reboat? ¿mugit quid talia fando?
Infernas qui mente tenax, qui pectore durus,
Jam leges ſectatur atrox, atque invidus intus,
Pectora, dente fero, fratrum, livore maligno
Rodere & ille cupit: roſtro, ceu Vultur, adunco
Ut ſibi quiſque foret Tityus, velletque, per exta
Ut fibris requies ferretur nulla renatis.
Euphroſine mitis, Charites, ſanctæve puellæ,
Iſtæ apud infernas ſedes (ubi gratia nulla eſt)
Incolere aſſueſcunt nunquã: nam nullus ibi ordo eſt.
Fratres à pœnis dum arcere innitur amens,
¿Nonne malignus erit, ſe qui jactare pium vult?
¿Impius ille magis, pius an, quod fingit in ipſo?
Et vere mandata dari, juſſa atque referri
Improbus haud falsè, verèque, exoptat, avarus.
Ille habitus pravos, ſecum quos duxit ad Orcum,

Vel ſervat, damnatus, adhuc, exercet in imis.
Exortes & opum qui omnes (ceu ſordidus ipſe,
Nummorumque tenax) nulla & conſortia menſis
Optabat turpis (manet & vecordia menti)
Forte & Avarus, idem munus nunc peragit, idem:
Sic nullos Dives ſocios exoptat in Orco,
Ut, vel flammarum, nequeat non eſſe, & Avarus.
Cuilibet infauſtis ſemper ſolamina rebus
Vel comites, & habere libet; ſed Dives-Avarus,
Ne, quod erat, non ſit, reputat ſolatia flammas.
Haud pietas, pergat ſuperos ut Lazarus inde,
Pectora avara movet, monita exhibeatque ſalutis.
Corniger eſt vivis tabularum portitor Heros,
Qui leges, mandata decem, qui jura magiſter
Edoceat cunctos: Judex, pro munere, cauſas
Qui dirimat dubias, rixas depellere norit.
Veridicosque tenent vivi, ſua numina, Vates,
Præſcia quorum mens, cladis fortaſſe futuræ
Eventus caveatur agit: quæ concita motu
E ſuperis, obducta docens, abſtruſa recludit.
¿Quid ni? At avara premens duram vecordia cauſam,
Perſtat adhuc: rurſusque Patrem compellat: & acris
Inſtat: vita functus eat, ſit corporis umbra,
Quæ admoneat ſontes, objurget crimine vivos.
Si Moſen (infit pater Abram, atque arguit ultra)
Fatidicosque Patres renuunt; ac numina Vatum
Obdurata malis hominum mens ardua diris
Faſti-

Faſtidit, lethale gemitque inſania morbum,
" Surdæ, ac obturat nequam, veluti Aſpidis, aures;
" Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
" Ipſe potens, inquam reduces qui tradere vitas
" Norit, & ad ſuperos manes revocare ſepultos,
Tota pia, ac tenues, ibit vox irrita, venti.
Stat conſtans ſermo, verbo quoque firmior omni,
Quem Vates cecinere pij, quem ſæpe Prophetæ,
Ceu lucerna, loco, lucens, caligine nigro:
Dux laterna viæ hæc: hanc ergo attendite lucem.
Ergo jam retro vadas: ergaſtula in antro
Te Stygis æterna, & duro ex nunc compede adactū
Detineant: flagris cædant diræque ſorores.
Te iſtic ſtare decet, pergat dum Lazarus iſte,
Qui digito linguam intingat, rabiemque furentem
Compeſcat lympha: interea expectare memento:
Quam citius properet, ſolvet tua vincula FINIS.

Pro eo quod ad candidatorum juvenum, tantummodo, inſtructionem (Tenuis mihi campus aratur) hanc ſacro-poeticam ſyntaxin, hoc in tenui opuſculo, tanquam unicum molimur ſcopum: ut vel minimum, ſacriſque de ſilicibus profluentem, puerulis, de latinitate, conſtruendum elargiamur rivulum: hæc pauca, ſive appendicis, ſive amœnitatis gratia propinamus. Modo ne injucunde hauriantur: vel tanquam ſitibundis, lympham porrigimus: vel tanquam parvulis, in Chriſto, lac potum damus.

CHRISTI JUDICIS CLEMENTIA, MARIÆ Genitricis auxilium, JOSEPHI Sponſi patrocinium, Cuſtodisque Angelici aſſiſtentia pro mortis articulo poſtulatur.

VErbum, quod Genitor ſacer
Coæternum ſibi germinat,
De cœlo nitor aureus,
Natum Sanguine Virginis.
Matris, quæ ſacra Numinis
Dignaris quoque nomine:
Virgo corpore, menteque,
Omni ex ordine temporum.
Joſeph, conjugio comes
Factus dulciter illius,
Patris nomine, Filij
Inſignitus & omine.
Semper ſedulé, qui Angelus
Mandatum geris aliger
Urgens, à Patre luminum
Noſtris omnibus in vijs.
Salvator pie, & optime,
Tu mortem cave ſervulis:
Noxam, ſæva piacula
Condona, probra, crimina.

Maria, inclyta gloria
  Noſtris jam data gentibus,
  Nos, fac tempore funeris,
  Diva ut gratia protegat.
O Joſeph pie, nunc mihi
  Adſtes tu, precor, ocyor,
  Chriſtus cui ſoboles pia
  Conjuxque aſtitit ad caput.
Cuſtos pervigil, advola
  Velox, præſidiumque fer,
  Mortis pelle periculum,
  Ad vitam dato ſemitam.
    Amèn.

AD ILLUD JOB. 14. & 7.

Brevis dies hominis ſunt.
Nihil enim ſunt dies mei.

¿Cur pergit pede pauca Muſa multo
  Longam ſyllaba longa & artem optat?
  Cum longa ars; brevis eſtque vita cunctis,
  Pernixque omnibus atra mors refertur.
Tu cœnam qui, epulo, paras opimam
  Pœnas nunc dato, ſtulte, nocte in iſta:
  Laute prandia ſume: dumque cœnas
  Sic longas facis, ad fores petit mors.

Firmas qui ſtruitis domo columnas
  Quaſi unquam valeant edi ſenecta,
  Nec poſſit citius perire tempus,
  Noſtros fortiter incitat quod annos.
Nunc jam delicias adite ſuaves
  Non vos prætereant amœna prata,
  Non flos temporis: ite per vireta,
  Quæ dat luxuries, potens voluptas.
Nunc ſpectacula, circus, atque ludus
  Oblectent animos, theatra, ſcena,
  Conceptusque Heliconis urgeat ſic,
  Quod menti tribuat ſatis leporis.
¿Ecquid ſunt aliquid boni iſta? Rimor.
  Magni en nunc pretio facit cupido.
  Sunt ſunt delitiæ, & fatemur iſta;
  At ſunt ceu prope nil, nihilque ſumma.
Nequaquam bona quæque nec fruuntur.
  ¿Fortunæ quota ſunt opes, voluptas,
  Vel dulces epulæ, quoti aut liquores
  Plus quam nectarei, vel alta tecta?
Ætas, vita, *hominis breves dies ſunt*
  Cuncta hæc & breviora, cum nihil ſint.
  Si nil ſunt bona quæque, ni fruantur,
  Quæ ſunt illa bona? Et quid hinc fruaris?
Ergo, cuncta fruenda, jam valete:
  Vobiſcum nihil eſt mihi, vel ad vos
  De me. Jam vale dico, nilque plus eſt:
  Cum ſitis prope nil, nihilq̃ cuncta.

AD ILLUD ECCLESIASTÆ. 9.

Neſcit homo finem ſuum.

Currit en rivus, rapidumque flumen
Abripit ſecum, & violentus, altam
Quercum ex imis, patulamque torquet
Robore Fagum.
Solvit ex alto, celerive curſu
Vergit in centrum lapidoſa moles,
Et pede innato properat tenere
Concita metam.
Avolant alte levia, atque motu
Inſito ſurſum properant lubenter.
Sidit & pondus gravitate preſſum
Semper in imis.
Obtinet puros tenuesque fines
Fulgurans Æther: teneras ad auras
Perſtat & clarus, vacuusve fulgens
Ignibus aër.
Terminum poſtum liquidas per undas
Gurges agnovit: ſitiensque terra
Senſit aut metam, ſtatuitve, ſedes
Cincta per omnes.
Herba, flos, lignum, foliata ramis
Planta, dumetum viridisque Laurus
Terminum norunt: peragunt libenter
Fundere fructus.

Si

Sic pecus lenis, pecus omne ruris,
Cornifer Taurus, Vituli petulci
Terminant motus, bivioque tendunt
Semper ad unum.
Cuncta noverunt elementa tempus:
Terminum infectum capit: omne brutum
Pergit ad fines, ſequiturque greſſus
Numine ductos.
At modo incertus, fragilis, caducus,
Turpis, ac mendax, variusque Adami
Filius proles maledicta, quam vel
Sic Draco fallit.
Tempore ex illo Coluber ſagaci
Dente dum ſtridens, aconita fudit,
Germen Adami penitus remanſit
Lumine læſum.
Turpis, obtuſa ſtupidaque mente
Segnis ad rectum fragilis voluntas
Verſat in cunctis, pariterque pœnas
Pendit ad intus.
Sic per errores varios vagatur,
Tracta per cunctos, ſine mente ſana,
Avia excurrens, oculos genasque
Septa tenebris.
Haud ſecus, cum ſol medium tenebat
Curſum, eclipſi nigricante nocte,
Complet & cunctas, diuturna noxa;
Funere terras.

It per abſtruſas dubitanter umbras:
Hæret: & greſſus variat viator:
Paſsibus lentus: trepidus pavores
Palpat ubique.

Ut venit tempus, quo hominis vel ætas
Mentis adducit potioris uſum,
Compos en mentis bivium pererrat;
Attamen impos.

Evocat nequam via, quàm deorſum!
Semita at recti dirimitque: ſurſum
Elevat mentes, animosque pellit
Tendere contra.

Haud ſecus flumen tumidas quod undas
Flectit inverſim, gravitasque fluctus
Urget in præceps; rapidumque flamen
Vertere retro.

Inter extrema heu! iter extat arcta,
Ut proba, aut pravum placeant volenti,
Ad quod extendas, placidus ſiniſtram;
Vel lege dextram.

Sauciat mens hic temerata leges
Frena vix dextra retinere compos:
Et gemit luctu Phaeton ab imis
Funera triſtis.

Nec quietus ſtat, medio ve tutus;
Imo & ex illo vitium reportat:
Vertit & Finem, Mediumque transfert:
Fœdat utrumque.

Utitur

Utitur crebro ambiguus fruendis;
Et, ſibi alternus, fruitur doloſe
Vanus utendis: ſimulatus atque
Nunquam ad unum.

Urget, en, divi placiti ſeverum
Sæpe præceptum: ah quoties renitens
Ad bonum vertit fragilis caducum
Pectus & ora.

Ergo jam ſunt hic homini voluntas
Proh pudor! mens, arbitriumque, ſenſus,
Omnia illi deteriora brutis,
Infima plantis.

Pectora ipſi ſunt rudiora ſaxis:
Abſque ſenſu, cum eſt ratione abundans.
Quem creatura omnis amat, vel ardet,
Neſcius errat.

Orbis in gyro eſt Deus ipſe celſus,
Solus ille eſt, *principium*que, finis:
Primum & ipſe extet tibi: finis almus,
Ultimus atque.

In mundiales Aulicos.

EPIGRAMMA.

Tractet uterque ſuum, ſic Ruſticus, Aulicus arvum,
Ut fructu vario tractet uterque ſuum.
Iſteque littus arat, vanè quoque ſcindit aratro:
Iſte operam perdit, iſteque littus arat.
Vertit Arator agrum, campos colit; iſte Potentes:
Civis vana colit; vertit Arator agrum.
Dum metit ille nihil, perdit quam ſæpe laborem:
Sic metit alter opes, dum metit ille nihil.

O. S. C. S. M. R. E.

FE DE ERRATAS.

JOSEPHINA.

Fol. 9.	lin. 11.	*Neque*	lege	*Nonque.*
Fol. 19.	lin. 7.	*Incolumen*	lege	*Incolumem.*
Fol. 22.	lin. 5.	*eſt gnate*	lege	*eſt gnati.*
Fol. 38.	lin. 18.	*ham reſpice*	lege	*hanc reſpice.*
Fol. 43.	lin. 12.	*Haut*	lege	*Haud.*
Fol. 44.	lin. 19.	*hic*	tolle	
Fol. 63.	lin. 1.	*limini*	lege	*limine.*
Fol. 67.	lin. 20.	*petit*	lege	*petens.*
Fol. 68.	lin. 14.	*ſobole quintam*	lege	*ſobole hinc quintam.*
Fol. 68.	lin. 24.	*creditæ*	lege	*credite.*
Fol. 69.	lin. 7.	*plevis*	lege	*plebis.*
Fol. 69.	lin. 10.	*objecti*	lege	*objecit.*
Fol. 73.	lin. 1a.	*tecta ultra*	lege	*tecta alta.*
Fol. 73.	lin. 20.	*haud fœta, id*	lege	*haud fœta it.*
Fol. 83.	lin. 7.	*præmunt*	lege	*premunt.*
Fol. 84.	lin. 18.	*eventum*	lege	*eventus.*
Fol. 88.	lin. 24.	*ad*	lege	*at*
Fol. 95.	lin. 2.	*repetit*	lege	*repetitque.*
Fol. 99.	lin. 27.	*ſcrutatuor*	lege	*ſcrutatur.*
Fol. 108.	lin. 4.	*aut*	lege	*haud.*
Fol. 110.	lin. 25.	*Religione*	lege	*Relligione.*
Fol. 112.	lin. 3.	*id*	lege	*in.*
Fol. 114.	lin. 5.	*inſti*	lege	*iſti.*
Fol. 114.	lin. 11.	*mitis*	lege	*clemens.*
Fol. 115.	lin. 14.	*en*	lege	*jam.*

PRODIGUS.

Fol. 6.	lin. 19.	*Neque*	lege	*Nonque.*
Fol. 8.	lin. 7.	*illud*	lege	*illuc.*
Fol. 11.	lin. 8.	*Nec*	lege	*Non.*
Fol. 11.	lin. 20.	*evovit*	lege	*evomit.*
Fol. 13.	lin. 4.	*nec*	lege	*non*
Fol. 13.	lin. 7.	*ad*	lege	*ac.*

AVARUS.

Fol. 56.	lin. 16.	*abſcondas*	lege	*abſcondat.*
Fol. 91.	lin. 21.	*penis*	lege	*pœnis.*
Fol. 93.	lin. 22.	*innitur*	lege	*innititur.*

68-442
B. Mose
5-7-68

BA777
J83p